



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Disp. VIII. De persona assumente,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

*O felix culpa quae talem ac tantum meruit habere
Redemptorem!* Non, inquam, in hoc sensu haec
loca interpretari possunt, ut contendit Lorca:
Tum quia licet nomen meriti aliquando ita acci-
piatur, tamen cum ipsum meritum tribuitur vitae
sanctitati, necesse est illud accipere in signifi-
catione propria, de qua nunc agimus. Tum etiam,
quia plures ex SS. Patribus hoc meritum attri-
buunt bonis operibus ipsius B. Virginis, ut patet
ex verbis D. Bernardi supra relatis: meritum au-
tem quod bonis operibus alicujus tribuitur, acci-
piendum est in propria significatione.



DISPUTATIO VIII.

De persona assumente.

Ad quaestionem 3. D. Thomae.

Postquam Sanctus Doctor quidditatem
seu essentiam unionis hypostaticae, & cau-
sas ejus explicavit, incipit agere de duo-
bus extremis ad illam concurrentibus, & primo
de persona assumente, in hac quaestione; deinde
de natura assumpta, in sequenti.

ARTICVLVS PRIMVS.

*Utrum Persona Verbi immediatè & proxi-
mè terminaverit humanitatem assumptam,
ratione subsistentiae absolutae & commu-
nis, vel ratione subsistentiae relativae &
personalis?*

§. I.

*Quibusdam praemissis referuntur sententiae,
& vera eliguntur.*

Ertum est de fide, solam secundam Sanctissi-
mae Trinitatis personam incarnatam esse,
ac proinde illam solam terminare ut quod natu-
ram humanam; sed dissensio & controversia est
inter Theologos, in assignanda ratione formali
primaria terminandi hanc unionem, seu in expli-
cando per quid Verbum primo & formaliter hu-
manitatem terminet, an per subsistentiam abso-
lutam & communem, vel per relativam & per-
sonalem? Supponimus enim ex Tractatu de Tri-
nitate, praeter divinam naturam, & existentiam
ejus, quae est de conceptu illius intrinseco, da-
ri in Deo tres subsistentias relativas; quia dan-
tur tres personae, ut fides docet, nec possunt illae
constitui nisi tribus personalitatibus relativis;
personalitates autem nihil aliud sunt quam subsi-
stentiae in natura intellectuali. Supponimus etiam
praeter subsistentias illas relativas & incommuta-
biles, dari in Deo secundum se considerato, &
ut personis & relationibus praetintellecto, subsi-
stentiam absolutam & essentialem, per quam na-
tura divina per se subsistit, non quidem incom-
municabiliter, eo modo quo personae, sed com-
municabiliter, cujus suppositionis duplex po-
test assignari ratio. Prima est, quia subsistere ut
sic, & ut dicit per se existere, importat perfectio-
nem simpliciter simplicem, subindeque debet
competere naturae divinae secundum se conside-
ratae, & prout personis & relationibus praetintel-

Alignitur. Secunda, quia Deus ut praetintellectus
relationibus & personis, operatur ut quod: v. g.
creat, gubernat, conservat: unde cum operatio-
nes non sint nisi subsistentium, Deus ut sic confi-
deratus debet habere subsistentiam. Quae omnia
in Tractatu de Trinitate late probata sunt, &
ideo hic supponenda, & recolenda, seu breviter
praebanda. His praemissis.

Circa propositam difficultatem triplex versatur
sententia. Prima est Durandi in 2. dist. 1. quaest.
2. existimantis unionem per se & immediatè fa-
ctam esse ad subsistentiam absolutam Dei; me-
diatè autem & secundario ad proprietatem relati-
vam Filij; & ob hanc secundam unionem, quae
personalis est, solam personam Filij fuisse incarna-
tam de facto. In quam sententiam inductus fuit,
quia existimavit proprietates relativas non esse
subsistentiam, seu nullas dari in Deo subsisten-
tias relativas, sed rationem subsistentiae in Deo
esse unicam & absolutam; proprietates vero re-
lativas solum dare incommunicabilitatem.

Secunda fateatur quidem Verbum non termina-
re primario unionem humanitatis, ratione subsi-
stentiae absolutae, praecise & absolute sumptae,
ut docet Durandus; sed vult eam terminare pri-
mario ratione subsistentiae absolutae, ut modifi-
catae proprietate relativae Filij; ita quod subsi-
stentia absoluta sit ratio formalis terminandi,
ipsa vero relatio, seu personalitas Verbi, solum
conditio sine qua non: eo proportionali modo,
quo potentia generativa in Patre constituitur per
essentiam divinam, quae tamen requirit tanquam
conditionem, relationem paternitatis, per quam
modificatur. Hanc sententiam tribuit Medina
Marfilio, Victoriae, & Soto, eamque sequi te-
nentur, qui non distinguunt realiter in creatis sub-
sistentiam ab existentia.

Tertia, quae est communis in Schola D. Tho-
mae, docet Verbum terminare adaequatè unio-
nem humanitatis, ratione subsistentiae relativae,
seu personalis, per quam constituitur in ratione
personae, atque distinguitur à Patre, & Spiritu
Sancto. Ita Cajetanus, Medina, Nazarius, Al-
varez, Aravius, Joannes à S. Thoma, Cipullus,
& alii ex nostris Thomistis, cum quibus

Dico primo: Ratio formalis & proxima per
quam Verbum Divinum terminavit humanita-
tem, non est ipsa subsistentia absoluta & com-
munis, sed personalitas, seu subsistentia relativa
& personalis, per quam constituitur in ratione
personae distinctae à Patre & Spiritu Sancto.

Probatum primo conclusio ex Concilio Toleta-
no 6. & 11. in confessione fidei, ubi haec veritas
videtur definita, his verbis: *Incarnationem Filij
tota Trinitas operata est, quia inseparabilia sunt
opera Trinitatis, solus tamen Filius formam ser-
vi accepit in singularitate persona, non in unitate
divinae naturae, in id quod proprium est Filij, non
quod Trinitati commune est.* At si humanitas
fuisse primo unita subsistentiae absolutae, falsa esset
propositio negativa Concilij, quae docet Filium
non suscepisse humanitatem in id quod commune
est Trinitati; cum talis subsistentia absoluta, tri-
bus personis communis sit, sicut & natura: Ergo
ut veritas dictae propositionis subsistat, asseren-
dum est, humanitatem non fuisse immediatè
unitam subsistentiae absolutae communi, sed rela-
tivae & personali, per quam Filius constitui-
tur in ratione personae distinctae à Patre & Spi-
ritu Sancto.

Confirmatur ex 6. Synodo generali actione 8.

ubi ex Sancto Dionysio cap. 2. de divin. nomin. sic dicitur: *His enim neque Pater, nec Spiritus Sanctus, nullâ ratione communicant, nisi forè quis asserat benignitate, clementiâque & communicatione voluntatis, argue in omni supereminentiſſima & ineffabili operatione, illos quoque acceſſiſſe conſortes.* At ſi humanitas unita fuiſſet immediatè ſubſiſtentia Dei abſolutæ & communi, Pater & Spiritus Sanctus communicaffent cum Filio, non ſolum in voluntate, & in omni operatione, ſed etiam in terminatione humanitatis, quia terminatio illa fuiſſet tribus perſonis communis: Ergo juxta Concilia, humanitas Chriſti non fuit primariò & immediatè unita ſubſiſtentia Dei abſolutè, ſed ſubſiſtentia relativæ & personali Verbi.

5. Probatur ſecundò conſuſio ratione quam prædicta Concilia locis citatis inſnuant. Si ratio formalis & proxima per quam Verbum Divinum terminat humanitatem, eſſet ſubſiſtentia Dei abſoluta, non verò perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia relativa Filij, ſequeretur tres perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis terminaffe unionem naturæ humanæ, ac proinde eſſe incarnatas: Sed hoc eſt contra fidem, & definitionem Conciliorum, ut vidimus: Ergo, &c. Probatur ſequela: Illud terminat unionem humanitatis, in quo eſt ratio formalis terminandi; ſicut illud agit, in quo eſt ratio formalis & proxima agendi: Sed ſubſiſtentia abſoluta & eſſentialis reperitur in tribus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis: Ergo ſi illa ſit ratio formalis & proxima terminandi unionem humanitatis, ſequitur tres perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis hujusmodi unionem terminaffe, ſubindeque fuiſſe incarnatas.

6. Copfirmatur: Sicut enim ut duo continua unita dicantur, ſufficit quòd habeant quantitativum vinculum ſibi commune, nempe lineam, vel punctum: ſic etiam ut duo ſubſtantialiter unita dicantur, ſufficit ut habeant ſubſtantiale vinculum commune, quo mediante invicem conjungantur: Sed juxta ſententiam Durandi, totæ tres perſonæ divinæ, & Chriſti humanitas, habent unum commune vinculum ſubſtantiale, ſcilicet ſubſiſtentiam communem & eſſentialem per quam abſolutè ſubſiſtunt: Ergo tres perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, ſunt ſubſtantialiter unitæ humanitati, ac proinde incarnatæ; cum incarnari nihil aliud ſit, quam ſubſtantialiter uniri naturæ humanæ.

7. Huic argumento, quod præcipuum & fundamentale eſt, reſpondet Durandus negando ſequelam Majoris: ut enim (inquit) perſonæ divinæ dicantur incarnatæ, ſeu humanitati ſubſtantialiter unitæ, non ſufficit unio humanitatis ad ſubſiſtentiam abſolutam & communem, ſed inſuper requiritur alia unio formaliter diſtincta, ad proprietatem perſonalem & relativam: unde cum Verbo humanitas unita fuerit, non ſolum ſecundum ſubſiſtentiam abſolutam, ſed etiam ſecundum proprietatem relativam, alijs verò perſonis duntaxat ſecundum ſubſiſtentiam abſolutam & communem; hinc ſit quod ſolus Filius dicatur incarnatus, non verò Pater, vel Spiritus ſanctus. Licet (inquit) concedi poſſit Patrem & Spiritum Sanctum, cum addito, in quantum ſcilicet ſunt hic Deus, fuiſſe incarnatos, non tamen abſolutè & ſimpliciter, in quantum ſunt tales perſonæ.

8. Sed hæc ſolutio & doctrina multipliciter conſutari poteſt, primò ex Concilio Toletano 6. ubi ſic dicitur: *Nam ſi naturam hominis, Deique,*

Tom. IV.

A alteram in alteram confuſiſſet, tota Trinitas corpus aſſumpſiſſet, quoniam conſtat naturam Trinitatis eſſe unam, non tamen perſonam. Ex quibus verbis hoc argumentum deſumitur. Si unio humanitatis ad Verbum eſſet facta in natura, quia hæc eſt toti Trinitati communis, inferret Concilium tres perſonas fore incarnatas, & de omnibus verificandum eſſe quod corpus aſſumpſiſſent: Ergo ſi de factò unio humanitatis ad Verbum primò terminata eſt ad ſubſiſtentiam Dei abſolutam & communem, & facta cum individuo Deitatis, ut communi tribus perſonis, de omnibus erit verum dicere quod carnem vel corpus aſſumpſerint, & quod homines factæ ſint.

B Secundò, Natura Divina propriè dicitur incarnata, ut ex Damasceno lib. 3. fidei orthodoxæ cap. 6. docet D. Thomas hic art. 2. & rationem reddit in reſp. ad 1. quia nempe natura non differt ſuppoſitaliter à Verbo quod immediatè aſſumpſit humanitatem, & ratione ſui fuit incarnatum: Sed Pater & Spiritus Sanctus non differunt ſuppoſitaliter ab hoc Deo, ut communi tribus perſonis, & in illis ſubſiſtente: Ergo ſi Deus ut communis tribus perſonis, immediatè & ratione ſui fuit incarnatus, Pater, & Spiritus Sanctus propriè incarnati dicantur & facti homines.

C Tertiò, Quia aſſumere ſumptum pro principio actionis convenit perſonis divinis, ratione naturæ ut communis, omnes divinæ perſonæ dicuntur propriè principium Incarnationis, ut docet D. Thomas hic art. 4. Ergo ſi terminare immediatè naturam humanam, convenit Verbo ratione naturæ divinæ, & ſubſiſtentia, prout eſt tribus perſonis communis, omnes cum proprietate dicentur terminare humanitatem, & conſequenter dicentur propriè incarnatæ.

D Quarto, Id quod convenit naturæ ſecundum ſe & ratione ſui, de omnibus perſonis divinis prædicatur: Ergo ſi natura divina, vel hic Deus ut communis tribus perſonis, terminet humanitatem, & ſit ex vi Incarnationis homo, omnes perſonæ divinæ terminabunt humanitatem, eruntque homines ex vi Incarnationis. Conſequentia legitima eſt, Antecedens autem eſt expreſſè D. Thomæ hic art. 2. ad 2. & art. 4. in corp. & poſteſt hoc exemplo declarari: quia enim ſapientia, miſericordia, & juſtitia, conveniunt naturæ divinæ ſecundum ſe, prout eſt communis tribus perſonis, perſonis etiam conveniunt, & de illis prædicantur: Ergo omne prædicatum conveniens Deo ratione naturæ ut communi, prædicatur de perſonis.

E Denique quod ait Durandus, Patrem & Spiritum Sanctum poſſe dici homines cum addito, in quantum ſcilicet hic Deus, & prout ſic incarnatos, temerarium eſt, cum nullus SS. Patrum, vel Theologorum, ita loqui auſus fuerit. Præterquam quod, quæ huic Deo competunt ratione naturæ ut communis, abſolutè & ſine addito prædicantur de perſonis; creare enim, conſervare, gubernare, & omnes operationes ad extra, quia huic Deo conveniunt ratione naturæ ut communis, ſimpliciter, & ſine addito, de perſonis prædicantur: Ergo ſi terminatio immediata humanitatis, & humanitas in concreto, prædicantur de individuo Deitatis, ratione naturæ ut communis, abſolutè & ſine addito diminvente prædicari poterunt de perſonis, & ſic Pater & Spiritus Sanctus ſimpliciter & abſolutè poterunt dici incarnati, & facti homines.

Ppp iij

- Dico secundo: Verbum Divinum non terminavit primario humanitatem, per subsistentiam absolutam & essentialiam, prout est in Filio, seu ut illi appropriatam, & per relationem Verbi modificatam.
13. Probatur primo conclusio ex Concilio Tolitano supra citato, sic dicente: *Solus Filius assumpsit humanitatem in eo quod est proprium Filij*: At quamvis subsistentia absoluta Dei, ut modificata proprietate relativa Divini Verbi, dici possit & debeat aliquid ipsi appropriatum, non tamen dici potest aliquid ei proprium, sed hæc denominatio solum convenit proprietati relative: Ergo id quod primario naturam humanam terminavit, est solum proprietate relativa Divini Verbi, non vero subsistentia absoluta, etiam ut modificata relatione Verbi, seu ut illi appropriata.
14. Probatur secundo: Si persona Filij non terminaret humanitatem, per propriam & incommunicabilem subsistentiam, sed per absolutam & communem, ut appropriatam Verbo; non posset persona Verbi, ut à Patre & Spiritu Sancto distincta, dici terminare humanitatem: Sed hoc erroneum est, ut pater ex dictis conclusione precedenti: Ergo & illud. Sequela Majoris probatur: Quia enim virtus creandi non est propria Filio, sed illi communis cum alijs personis, non potest ut appropriata Filio, seu ut modificata per relationem filiationis, aliquid creare, nisi Pater & Spiritus Sanctus simul creent. Ergo pariter cum subsistentia absoluta, sit aliquid commune tribus personis Sanctissimæ Trinitatis, non poterit Filius per talem subsistentiam, etiam ipsi appropriatam, & per relationem filiationis modificatam, terminare substantialiter humanitatem, nisi etiam aliæ personæ illam substantialiter terminent.
15. Probatur tertio conclusio ex alio absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia, nimirum quod Filius non communicaret humanitati assumptæ personalitatem propriam, sed duntaxat subsistentiam absolutam & communem, quod etiam profus erroneum est. Sequela probatur: Quia tota vis generandi in Patre est deitas, & paternitas illi solum tanquam conditio adjungitur, Pater non communicat Filio paternitatem, sed solum essentiam: Ergo similiter cum juxta Adversarios tota vis formalis & proxima terminandi humanitatem in Filio, sit subsistentia absoluta, & proprietate, seu relatio personalis Filij, ibi interveniat solum tanquam conditio, manifestè sequitur quod Filius solum communicavit humanitati subsistentiam absolutam, non vero propriam personalitatem, seu subsistentiam relativam & personalem.
16. Dico tertio: Licet Verbum Divinum terminet primo & immediate naturam humanam per subsistentiam relativam & personalem, secundo tamen & mediate illam terminat per subsistentiam communem & absolutam, seu per naturam divinam.
- Probatur primo: Humanitas est immediate unita subsistentiæ personali Verbi, ut primâ conclusione ostendimus: Sed cum hæc est identificata subsistentia absoluta, & natura divina: Ergo illi mediate unitur.
- Secundo, Unio ista est cum Verbo ut persona divina: Ergo est cum Verbo ut subsistente in divina natura, & consequenter cum divina natura mediate.
- A Tertio, Juxta frequentiore Theologorum sententiam, humanitas sanctificata est formaliter à natura divina sub conceptu naturæ: Sed absque unione physica cum illa, saltem mediate, non potuit humanitas à deitate sanctificari: Ergo fuit unita deitati mediate.
- Dico quarto, Quamvis subsistentia relativa Verbi Divini sit ratio formalis & proxima, quæ Verbum terminat humanitatem, nihilominus essentia divina, & subsistentia absoluta, imbibita in eadem subsistentia relativa Filij, possunt dici ratio radicalis & remota terminandi eandem humanitatem.
- Probatur breviter: Illud dicitur ratio radicalis & remota terminandi alienam naturam, ex quo tanquam ex radice oritur tota vis proxima & immediata terminandi: Sed tota vis proxima & immediata terminandi, quæ reperitur in subsistentia relativa Verbi Divini, oritur ab essentia divina, seu à subsistentia absoluta, in ipsa personalitate transcendentaliter imbibita; ideo enim subsistentia relativa Verbi Divini potest terminare naturam humanam, quia est infinita, & continet eminenter formaliter totam perfectionem personalitatis creatæ: hæc autem infinita perfectio subsistentiæ relative, provenit tanquam à radice ab ipsa essentia divina simpliciter infinita, & ab ipsa subsistentia absoluta, quæ transcendentaliter includuntur in subsistentia relativa & personali Verbi Divini.
- C
- §. II.
Solvuntur objectiones.
- O Bjicies primo contra primam conclusionem: Verbum Divinum per illud prius terminavit humanitatem, quod prius illi tribuit: Sed prius tribuit humanitati esse existentiam absolutam & essentialiam, quam esse personale, seu modum existendi incommunicabiliter: Ergo prius terminavit humanitatem ratione existentie aut subsistentie absolute, quam ratione personalitatis, seu subsistentie relative. Major pater, Minor probatur. Verbum Divinum id prius communicavit humanitati quod prius in se continet, sicut forma prius communicat subiecto illum effectum formalem quem prius in se continet: Vig. lux prius communicat aëri esse lucidum, quam calidum, quia unum prius continet quam aliud: Sed persona Verbi Divini prius in se continet existentiam aut subsistentiam absolutam, quam subsistentiam relativam & personalem; absoluta enim sunt in Deo priora relativis, maxime existentia, quæ est de conceptu quidditativo Dei, & quæ in ipso antecedit personalitatem: Ergo Verbum Divinum prius tribuit humanitati esse existentiam absolutam & essentialiam, quam esse personale, seu subsistentiam relativam & incommunicabilem.
- Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem: Nam Verbum Divinum prius naturam tribuit humanitati assumptæ subsistere quam existere; quia humanitas, & quæcunque natura creata, & substantialis, non est immediate capax existentie, neque illam potest suscipere, nisi prius naturam fuerit completa & intrinsecè terminata per subsistentiam propriam vel alienam: ut enim docet D. Thomas infra quæst. 17. art. 2. immediatum susceptivum existentie, non est natura, sed suppositum in natura subsistens. Unde ad probationem illius Minoris dicendum est primo,
- E

quod quamvis Verbum Divinum prius in se continet existentiam, quam subsistentiam, non tamen prius illam communicat humanitati, quam istam; quia humanitas non est capax recipiendi existentiam, nisi prius fuerit completa per subsistentiam.

20. Secundo dici potest, quod licet materialiter & in ratione entis, existentia, sicut & sapientia, & reliquae perfectiones essentiales, antecedit subsistentiam relativam; formaliter tamen, & in ratione termini, prior est personalitas, cum sit proxima & immediata ratio terminandi humanitatem. Sicut diximus in Tractatu de Angelis, quod licet substantia Angeli sit prior materialiter & in ordine essendi, ejus operatione virtualiter transcurrente; formaliter tamen & in ordine locandi, prior est operatio quam substantia; quia in sententia D. Thomae, operatio est ratio formalis per quam substantia Angeli praesens loco constituitur.

21. Objicies secundo: Personalitas Verbi est idem cum natura divina: Ergo non stat humanitatem uniri immediatè personalitati Verbi, & non uniri immediatè naturae divinae. Patet Consequentia, quia inter omnino eadem non potest esse mediatio.

22. Respondeo distinguendo Antecedens: Est idem realiter & formaliter, concedo Antecedens. Virtualiter, nego Antecedens, & Consequentiam. Sicut enim distinctio virtualis, naturae à paternitate, sufficit ut natura Patris communicetur Filio, & non communicetur paternitas: ita virtualis distinctio filiationis à natura divina, est sufficiens ut filiatio immediatè humanitatem terminet, & non natura divina.

23. Dices, Personalitas Verbi prout est in re terminat naturam humanam, & prout sic est idem realiter cum natura divina: Ergo humanitas uniri immediatè naturae divinae. Probatur Consequentia, quia enim visio beatifica terminatur ad Deitatem ut est in re, & Deitas prout sic non differt à relationibus, non potest non terminari ad relationes, ut docuimus in Tract. de visione beata. Ergo similiter, si humanitas uniri personalitati Verbi ut est in re, & prout sic est idem cum divina natura, immediatè uniri natura.

24. Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: sicut enim licet natura divina ut in re communicetur Filio, & in se sit idem realiter cum paternitate, quia tamen prout in re, virtualiter ab illa distinguitur, non communicatur paternitas Filio. Ita quamvis personalitas Verbi terminet prout est in re, & prout sic sit idem realiter cum natura divina; quia tamen virtualiter ab illa distinguitur, non sequitur immediata unio humanitatis cum divina natura. Ad probationem verò Consequentiae, concessio Antecedente, nego Consequentiam, & paritatem: disparitas est, quia in terminando visionem omnes Dei formalitates conveniunt, & sub eadem ratione illam terminant, nimirum sub ratione veri transcendentaliter & visibilis, quia ipsa essentia divina habet rationem objecti formalis, tam motivi quam terminativi, respectu sui, attributorum, & relationum: in terminando autem unionem humanitatis, omnes Dei formalitates non conveniunt, sed personalitas, prout ab essentia virtualiter distincta, terminat humanitatem; & ideo potest personalitas immediatè terminare naturam, absque eo quod natura eam immediatè terminet, licet non possit videri essentia divina,

A non visis relationibus & attributis.

Alia reperitur ratio discriminis, nam ut aliquid necessario debeat cognosci, alio cognito, sufficit connexio intrinseca & formalis utriusque; non verò ut unum necessario terminet, alio terminante: virtualis autem distinctio essentiae à proprietatibus relativis, non tollit illarum necessariam connexionem, imò nec intimam inclusionem; & ideo licet virtualiter distinguantur, non potest videri essentia, non visis relationibus; possunt tamen proprietates personales terminare immediatè unionem humanitatis, absque eo quod natura divina illam immediatè terminet.

B Objicies tertio: Ex unione immediata humanitatis cum Deitate, non sequitur unio personalis cum tribus divinis personis, nec proinde tres personas esse incarnatas: Ergo ruit praecipuum fundamentum nostrae sententiae. Consequentia patet ex supra dictis, Antecedens probatur. Paternitas intimè unitur cum natura divina, quam humanitas; nam unio paternitatis cum Deitate est per realem identitatem, non autem unio humanitatis, quae realiter entitativè à Deitate distinguitur: Sed ex unione paternitatis cum deitate, non sequitur quod si Deitas personaliter invenitur in Filio, & de illo praedicatur, paternitas etiam personaliter Filio conveniat, & de illo praedicetur: Ergo pariter ex unione immediata humanitatis cum deitate, non sequitur unio personalis illius cum tribus personis divinis.

27. Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, neganda est consequentia & paritas: quod enim ex identitate paternitatis cum divina natura, & naturae cum filiatione, non sequatur identitas filiationis & paternitatis inter se, provenit ex eo quod natura cum nulla illarum opponitur, illa verò inter se opponuntur relativè, ut docet D. Thomas 1. p. quaest. 28. art. 3. ad 1. & 2. argumentum, ubi ait quod quia potentia & bonitas non important in suis rationibus aliquam oppositionem, ex identitate quam habent cum essentia, colligitur inter se identificari; quae tamen consequentia in paternitate & filiatione non tenet, quia in suis propriis rationibus important oppositionem. Cum ergo humanitas oppositionem cum proprietatibus relativis non habeat, reddè inferitur ex eo quod huic Deo ut communi tribus personis immediatè uniat, & de illo praedicetur, quod humanitas, mediatè saltem, tribus personis uniat, & praedicetur de illis.

28. Objicies quarto: Ratione illius personalitas Verbi terminat humanitatem, ratione ejus continet eminenter personalitatem creatam: Sed illam continet ratione subsistentiae absolutae: Ergo haec est ratio quae Verbum terminat humanitatem assumptam. Major videtur certa, nam supplere effectum formae, solum convenit ratione continentiae eminentialis: unde personalitas creata, ut infra dicemus, non potest alienam naturam terminare, quia cum non sit infinita, non continet eminenter personalitatem alienam. Minor verò probatur: Ratio continendi eminenter personalitatem creatam, est infinita perfectio personalitatis divinae: Sed perfectio infinita convenit personalitati Verbi, ratione subsistentiae absoluta, aut naturae divinae, quam implicitè & transcendentaliter includit, ut in Tractatu de Trinitate docuimus: Ergo subsistentia absoluta est ratio continendi eminenter personalitatem creatam.

29. Pro solutione hujus argumenti duo breviter prænotanda sunt, seu ex Tractatu de Trinitate recolenda. Primum est, subsistentiam sumi dupliciter, primò pro perfectate independentiæ ab altero ut sustentante, secundò pro perfectate incommunicabilitatis alteri tanquam supposito; & in priori acceptione esse aliquid absolutum in Deo, nec convenire personis ratione proprietatis relativæ, sed tantum ratione subsistentiæ absolute; in secunda autem dici tantum relativè, non verò absolute in Deo, ut in Tractatu de Trinitate fusè ostendimus. Secundum est, personalitatem creatam ratione sui utramque istam perfectatam præstare, cum enim suppositum creatum per se subsistat quoad independentiam, & incommunicabile sit alteri, tanquam supposito; & natura creata, ratione sui, nullà ex his perfectatibus gaudeat, utramque præstat personalitas creata, prout à natura distincta. His præmissis,

Disput. 5.
art. 2.

Ad argumentum respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad probationem, distinguo Majorem: Ratio continendi eminenter personalitatem creatam, quoad id quod est perfectio in illa, est infinita perfectio, concedo Majorem. Ratio continendi eminenter personalitatem creatam, quoad id quod in illa perfectionem non dicit, nego Majorem; & concessa Minori, nego Consequentiam. Nam personalitas creata, ut præstans independentiam à sustentante, perfectionem dicit, prout verò præstat incommunicabilitatem alteri ut supposito, perfectionem non explicat: licet autem ratio continendi eminenter perfectionem, necessariò debeat esse perfectio ratione sui, ratio tamen continendi eminenter id quod perfectio non est, potest esse id quod ratione sui perfectionem non dicit; ac proinde ratio continendi eminenter personalitatem creatam, ut præbet independentiam, est subsistentia absoluta; ratio verò continendi eminenter personalitatem creatam, prout constituit in esse incommunicabili, est subsistentia relativa, quamvis sub hoc conceptu perfectionem non explicet: nam sicut terminat ad intra naturam infinitam, licet ratione sui non explicet perfectionem; ita & potest habere vim infinitam terminativam ad extra, quamvis ratione expliciti perfectionem infinitam non importet. Subsistentia ergo relativa, ratione illius quod exprimit, non continet eminenter personalitatem creatam, sumptam adæquatè, sed solum quoad inadæquatam rationem, nempe incommunicabilis, & ratione hujus immediatè unitur humanitati, & est Verbo ratio subsistendi in illa.

30. Objicies quintò contra secundam conclusionem: Etsi essentia divina sit communis tribus personis, tamen prout est in Patre, & quatenus per relationem paternitatis modificatur, est principium generandi: Ergo similiter, quamvis subsistentia absoluta sit communis tribus personis, illa tamen prout est in Filio, & per relationem filiationis modificatur, erit ratio terminandi humanitatem, non verò subsistentia relativa Filij.

31. Respondeo, concessò Antecedente, negando consequentiam, & paritatem: Ratio discriminis est, quia generare est agere, unde principium formale generandi debet esse aliquid activum, quale non est relatio, sed essentia divina ut habet adjunctam paternitatem: terminare verò naturam, non est formaliter agere, & ideo id quo fit talis terminatio, non est ipsa natura, nec forma, vel perfectio absoluta, sed subsistentia relativa

A Filij, quæ habet rationem puri termini.

Objicies ultimò contra tertiam conclusionem: Si unio hypostatica secundariò ad subsistentiam Dei absolutam, vel ad naturam divinam facta esset, Pater & Spiritus Sanctus, mediatè & per concomitantiam, possent dici incarnati: Sed hoc videtur absurdum & erroneum: Ergo &c. Sequela probatur: Divinitas secundariò dicitur incarnata, seu carni hypostaticè unita, quia realiter & substantialiter est in Filio, qui per se primò incarnatus est, & cum illo identificatur: At qui similiter Pater & Spiritus Sanctus uniantur & identificantur cum natura divina, & subsistentia absoluta, ad quam unio hypostatica secundariò & mediatè terminata est: Ergo etiam Pater & Spiritus Sanctus debent dici secundariò & mediatè incarnati.

Respondeo negando sequelam Majoris, ad cuius probationem, nego paritatem: Ratio discriminis est, quia natura divina, & subsistentia absoluta, realiter identificantur cum ipsa personalitate Verbi Divini, quæ est terminus formalis & primarius Incarnationis, ac pertinent intrinsecè ad suppositum Verbi Divini, ita ut personaliter non distinguantur, ex quo fit ut Deus, mediatè saltem & secundariò, possit dici incarnatus. Cæterum Pater & Spiritus Sanctus realiter distinguuntur à Verbo, quod est terminus primarius Incarnationis, nec sunt idem cum illo secundum suppositum seu personam, sicut divinitas & existentia, seu subsistentia absoluta. Et licet cum natura divina & existentia seu subsistentia absoluta realiter identificentur, quia tamen hæc non per se primò & immediatè conjunguntur humanitati, sed ratione alterius, scilicet personalitatis Verbi, cum qua realiter identificantur, non possunt dici, etiam mediatè & secundariò, incarnatæ: ad hoc enim requireretur, quod non solum cum termino secundariò & mediato, sed etiam cum primario & immediato realiter identificarentur.

D

ARTICULVS II.

Utum Verbum assumendo humanitatem, non solum ejus subsistentiam, sed etiam illius existentiam suppleverit?

NEgant Scotus, Suarez, Vazquez, & quicunque essentiam creatam non distinguunt realiter ab existentia. Et consequenter quidem, non enim potest suppleri, nisi separando eam ab essentia: separari autem repugnat, si non distinguatur. Afirmant verò Thomistæ, & alij, qui realem distinctionem inter essentiam & existentiam agnoscunt. Unde fit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, Verbum non solum subsistentiam, sed etiam existentiam in humanitate Christi suppleri; subindeque illam non per existentiam creatam & sibi propriam, sed duntaxat per divinam & increatam existere.

Probatum primò ex Epistola Sophronij, recepta & approbata à Patribus sextæ Synodi actione II. ubi de Christi humanitate sic dicitur: *In illo itaque (scilicet Verbo) & non in semetipsa, existentiam habuit unam.* Ex quibus verbis hoc argumentum

mentum conficitur. Naturam habere existentiam in alio, est existere per ejus existentiam; existere verò in semetipsa, est existere per propriam existentiam: At juxta Sophronium, humanitas Christi habet existentiam in Verbo, & non in semetipsa: Ergo existit per existentiam Verbi increatam, non verò per existentiam creatam & sibi propriam.

35. Respondet Suarez, intentum Sophronij esse concludere contra hæreticos, quod caro, vel anima Christi, vel humanitas, non prius tempore habuit existentiam, quam assumeretur à Verbo; & ita per habere existentiam in alio, intelligit habere propriam in alio supposito, seu alienà personalitate terminatam & completam; per habere autem existentiam in semetipsa, intelligit habere illam in propria persona.

36. Sed contra: In eodem sensu dicit Sophronius, humanitatem Christi non habere existentiam in semetipsa, quo asserit habere existentiam in Verbo: At cum dicit non habere existentiam in semetipsa, intelligit quod non habet propriam existentiam, non verò quod non habet illam completam: Ergo cum præmittit illam habere existentiam in Verbo, intelligit quod existat per existentiam Verbi, non autem per propriam existentiam, Verbi personalitate completam. Major constat, quia aliàs esset æquivocatio in terminis. Minor verò probatur, quia naturam creatam habere existentiam in semetipsa, vel non habere illam in semetipsa, est illam habere vel non habere propriam existentiam, non autem habere vel non habere illam completam & terminatam, cum terminatam habere non possit in semetipsa, sed tantum in propria vel aliena persona.

37. Urgetur hæc impugnatione ex his quæ idem Sophronius subdit, cum probaturus contra Nestorianos unitatem subsistentiæ in Christo, sic habet: *Quæ enim extat persona composita, ex inconsuso constans temperamento, partitionem convenientium nescit, sed esse & permanere unum indivisum sortitur.* Et postea: *Ex quibus esse unum sortitur natura duplex, & unum permanere servabit.* Ubi apertè dicit non de humanitate, sed de persona Christi, & de utraque natura, divina & humana, quod habeant unum esse indivisum, & unum permanere.

38. Nec potest dici cum Suare, quod per esse Sophronius intelligat subsistere ipsum, seu esse per se, quia his verbis assignat rationem ejus quod immediatè antea dixerat, esse scilicet unam in Christo subsistentiam, ut particula causalis, *enim*, apertè declarat: esset autem ratio negatoria, probare unitatem subsistentiæ in Christo, ex eo quod est in illo una subsistentia: Ergo per esse non intelligit subsistentiam, sed existentiam. Et confirmari potest ad hominem contra Suarem, qui permanentiam & durationem non distinguit ab existentia: At Sophronius dixit personam Christi, & utramque ejus naturam, habere unam permanentiam: Ergo intendit illas unam tantum existentiam habere.

39. Probatur secundò conclusio ex D. Thoma, quem Suarez, & alij Recentiores, totis viribus ad suam cõnantur pertrahere sententiam. In primis enim S. Doctor infra quæst. 17. art. 2. ex professo inquiri, *utrum in Christo sit unum esse tantum?* & concludit affirmativè.

Solutio autem Adversariorum dicentium illum per esse, intelligere subsistentiam, multipliciter confutari potest. Primò quia de subsistentia jam

Tom. IV.

A in quæstione secunda ex professo disputaverat, & statuerat esse unam in Christo: Ergo ne actum agat, dicendum est, illum quæst. 17. quærere de esse existentia.

Secundò, In nullo alio loco quæstionem de existentia resolvit: Ergo ne id quod difficillimum est, & maximè controversum, ponatur à S. Doctore omisum, concludendum est, agere quæstione citatà, de existentia, & non de subsistentia.

Tertiò, Ibidem in resp. ad 1. loquens de illo esse quod in corp. articuli statuerat esse unum in Christo, asserit ipsum consequi personam seu hypostasim, sicut habentem esse: At subsistentia cum constituat personam, illam non consequitur: Ergo S. Doctor eo loco per esse non intelligit subsistentiam, sed existentiam.

B Et confirmari possunt hæc omnia ex quodlibeto 9. ubi S. Thomas duplicem distinctum instituit articulum, in quorum primo inquit an in Christo sit una tantum hypostasis, & in secundo, utrum sit unum tantum esse: Et in hoc secundo concludit idem quod in summa, nimirum unum tantum esse in Christo reperiri.

C Patet autem D. Thomam in hoc secundo articulo quodlibeti 9. loqui de esse existentia, tum quia de subsistentia jam determinaverat articulo præcedenti, tum etiam quia explicans naturam illius esse de quo quærit num sit unum, dicit consistere in hoc quod est esse actum entis in quantum est ens, seu id quo aliquid denominatur ens actu in rerum natura: At esse sic explicatum est esse existentia, ut contendit etiam ipse Suarez, qui ex ea definitione sumit omnia argumenta ad probandum quod existentia non distinguatur ab essentia: Ergo S. Doctor ibi loquitur de esse existentia.

Addo quod de illo eodem esse asserit, quod habeat unitatem ex ipso supposito, & non ex naturis: At falsum est subsistentiam habere unitatem ex supposito, cum potius suppositum ex eo dicatur unum, quod unicà gaudeat subsistentiâ illius constitutivâ: Ergo idem quod prius.

40. Neque difficilius erit aliam refellere responsionem Suaris, dicentis D. Thomam, & Sophronium supra citatos, ideò concludere quod in Christo sit unum esse existentia, quia in ipso non est nisi unum esse substantiale completum & perfectum, eò quod existentia humanitatis & existentia divinitatis uniantur in persona Verbi: sicut (inquit) homo non habet nisi unum esse completum, quia licet materia & anima rationalis suas habeant existentias partiales, illæ tamen uniantur ad faciendam unam existentiam totalem hominis. Hæc, inquam, solutio & doctrina facilè potest refelli: nam cum existentia humanitatis & divinitatis Christi (dato quod sint distinctæ) non sint partiales & incompletæ (sicut existentia quas Suarez & alij Recentiores in materia & forma admittunt) sed totales & completæ, sicut & ipsæ naturæ quæ reperiuntur in Christo; nec illæ uniantur nisi in persona Verbi, solùm dici potest quod illæ sint una persona, non verò una existentia; sicut duæ naturæ Christi non possunt dici simpliciter una natura, quia non in unam naturam, sed tantum in unam personam uniantur.

41. Probatur tertiò conclusio ratione quam S. Doctor locis citatis insinuat. Si humanitas Christi non fuisset assumpta ad existentiam increatam Verbi Divini, sed per propriam & connaturalem existeret, darentur in Christo duæ existentia substantiales: Consequens non potest admitti: Ergo

nec Antecedens. Sequela Majoris est evidens, esset enim in Christo, præter existentiam propriam & connaturalem humanitati, existentia Verbi Divini. Minor verò probatur: Si in Christo darentur duæ existentia substantiales, non esset ens substantialiter unum, sed plura: Atqui est ens substantialiter unum, non verò plura, ut fatentur omnes Catholici cum Athanasio in Symbolo: Ergo in ipso non datur duplex existentia substantialis. Sequela Majoris probatur. Ut Christus esset unum existentia, necessarium omnino esset quod una ex illis duabus existentis haberet rationem potentia respectu alterius: impossibile enim est ex duobus fieri unum per se, si-ve substantiale, nisi se habeant per modum potentia & actus: Sed omnino repugnat quod una existentia habeat rationem potentia respectu alterius: Ergo & quod Christus sit ens substantialiter unum, si constet pluribus existentis. Major patet, Minor probatur. Impossibile est id quod essentialiter est ultima rei actualitas substantialis, habere rationem potentia ad aliam actualitatem similiter substantialem; aliàs enim esset & non esset ultima actualitas substantialis: esset, ut supponitur, non esset verò, quia ad eam sequeretur alia, nimirum illa ad quam diceretur esse in potentia: Sed omnis existentia, quæcunque illa sit, est essentialiter ultima rei actualitas; in hoc enim consistit conceptus essentialis existentia: Ergo impossibile est quod existentia substantialis sit in potentia ad aliam existentiam similiter substantialem.

42. Denique suaderi potest conclusio hac ratione. Natura humana non habuit existentiam prius, prioritate etiam duntaxat naturæ, quam assumeretur à Verbo: Ergo assumpta fuit ad Divini Verbi existentiam. Consequencia patet, probatur Antecedens. Si natura humana prius, prioritate etiam duntaxat naturæ, quam assumeretur à Verbo, fuisset existens existentia sibi propria, sequeretur B. Virginem non fuisse propriam matrem Dei: Sed hoc in Concilio Ephesino damnatum est: Ergo &c. Sequela Majoris probatur. Ut B. Virgo dicatur proprie mater Dei, debet terminus concursus ejus in generatione sui Filij esse Deus homo: At si humanitas Christi prius prioritate naturæ quam assumeretur à Verbo, fuisset existens existentia sibi connaturali, terminus concursus B. Virginis in generatione sui Filij, non fuisset Deus homo: Ergo B. Virgo non fuisset proprie mater Dei. Major constat, Minor verò probatur. Illud non est terminus concursus B. Virginis in generatione sui Filij, ante quod concursus iste concipitur totaliter terminatus: At si humanitas prius prioritate naturæ quam assumeretur à Verbo, habuit propriam existentiam, prius eadem prioritate quam suppositum divinum illam terminaverit, atque adeo quam fuerit Deus homo, concursus B. Virginis intelligitur totaliter terminatus; nam ex una parte tunc concursus causæ, quæcunque illa sit, intelligitur omnino terminatus, quando eius effectus habet existentiam, utpote cum existentia sit ultimus terminus dependentia effectus à suis causis, totaliter ipsum constituens extra illas; ex alia verò parte si humanitas Christi priusquam assumeretur à Verbo habuit existentiam, prius prioritate saltem naturæ quam suppositum divinum illam terminaverit, fuit existens: Ergo terminus concursus B. Virginis, non fuit Deus homo.

A Respondent Adversarii, quod licet humanitas Christi habuerit propriam existentiam prius prioritate naturæ quam assumeretur à Verbo, concursus tamè B. Virginis non fuit totaliter terminatus, donec tali existentia advenerit substantia divina, eam de se indifferentem ad rationem existentia in se, vel existentia in alio, determinans ad rationem existentia in alio, nempe in Verbo Divino.

Sed contra: Hæc solutio supponit falsum, nempe quod substantia possit esse modus subsequens existentiam, illamque complens & determinans: hæc, inquam, suppositio falsa est, siquidem cum existentia cujuslibet rei sit (ut jam dixi) ultima eius actualitas, implicat eam compleri, modificari, & determinari per aliquam aliam actualitatem, si-ve formam, aut modum substantialem, qualis est substantia. Non minus falsum est, quod existentia propria humanitas, sit indifferens ad essendum existentia in se, vel existentia in alio; quia potius è contra eo ipso quod sit existentia substantialis, atque adeo essentialiter participativa rationis formalis substantialis, est ex sua natura existentia per se, si-ve in se, incapax proinde rationis in existentia, quæ est propria existentia accidentis.

43. Addo quod, implicat rem intelligi existentem, & illi deesse aliquod complementum intrinsecum & substantiale, quod naturaliter exigit recipere à suis causis: Ergo cum substantia sit complementum intrinsecum humanitas, quod naturaliter exigit recipere à generante, dicendum est, quod vel humanitas Christi ante assumptionem non intelligitur existens per propriam existentiam, vel quod si in illo priori habeat existentiam creatam, necessariò etiam debet habere in illo priori propriam substantiam & personalitatem; & sic quod concursus B. Virginis in illo priori naturæ sit ultimò completus & terminatus. Consequencia est evidens, Antecedens autem in quo est difficultas, sic ostenditur. Implicat rem aliquam esse existentem, & non esse totaliter extra causarum dependentias; effectus siquidem formalis existentia est constituere rem extra dependentiam causarum, cum existentia nihil aliud sit quam existentia rei extra suas causas, & id in quo ultimò sistunt earum causalitates: At res illa cui deest aliquod complementum substantiale quod debet recipere à suis causis, non est totaliter extra earum dependentias: Ergo res illa cui deest aliquod complementum substantiale quod exigit recipere à suis causis, non potest esse existens. Major patet, Minor etiam videtur manifesta; nam res illa dependet à suis causis, quantum ad illud complementum quod debet ab illis recipere: Ergo quandiu non habet illud complementum, non est totaliter extra dependentiam causarum, nec proinde existens.

§. II.

Præcipue objectiones solvuntur.

46. Objicit in primis Suarez contra nostram conclusionem quædam Conciliorum & SS. Patrum testimonia, quæ videntur favere ejus sententia: nam in 7. Synodo actione 6. quidam Epiphanius Episcopus, cujus sententia non fuit à Concilio improbata, naturam ab hypostasi per hoc distinguit, quod natura dicit humanitatem existentem, hypostasis verò addit substantiam: Ergo

juxta hanc doctrinam, Verbum Divinum assumendo naturam humanam tantum, non verò hypostasim, assumpsit humanitatem existentem, & consequenter falsum est quod ipsa ad existentiam increatam assumpta fuerit. Damascenus etiam lib. 3. de fide cap. 3. juxta versionem Fabri ait, Verbum Divinum assumpsisse humanitatem non privatam existentiam: sentit ergo illam prius naturam quam assumeretur habuisse propriam existentiam. Unde cap. 11. & 12. dicit humanitatem habuisse existentiam in Verbo, & non per Verbum. Item in sexta Synodo generali actione 4. in Epist. Agathonis Papæ, & actione 11. in Epist. Sophronij docetur, Verbum assumpsisse naturam humanam cum omnibus suis partibus, proprietatibus, & perfectionibus ei connaturalibus: Ergo cum existentia propria pertineat ad connaturales ejus perfectiones, Verbum Divinum illam ut existentem propriam existentiam assumpsit. Addit Albertinus, Concilia asserentia Verbum non suscepisse humanitatem per aliquid quod sit commune Trinitati: existentia autem est communis: Ergo &c.

47. Verum hæc levia sunt, nec sudore aut labore egent ut solvantur. Ad primam enim auctoritatem respondeo, sensum verborum Epiphaniæ esse, quod natura importat humanitatem ut existentem radicaliter, id est ex seipsa potentem existere, & exituram de facto, si non præventa fuisset ab existentia Verbi Divini: Ex quibus nihil contra nos.

Ad secundam dico, Damascenus non dixisse quod humanitas Christi non fuerit privata propria existentia, sed solum quod non fuerit privata existentia, ita ut propter assumptionem corrupta fuerit & deserit esse, ut volebant hæretici quos loco citato impugnat; unde juxta versionem Hilij legitur, humanitatem non fuisse in nihilum redactam. Et certè cum Damascenus non tantum dicat humanitatem privatam fuisse existentiam, sed etiam subsistentiam, eodem modo intelligendus est quoad privationem existentie, quo potest intelligi quoad privationem subsistentie; atque adeo sicut non potuit docere quod humanitas Christi non fuerit privata propria subsistentia, ita nec docuit quod propria existentia privata non fuerit. In alio vero loco, etsi asserat humanitatem habuisse existentiam in Verbo, quod est ipsam existere per existentiam Verbi, non tamen habetur in textu quod non existat per Verbum, sed illud additum fuit à Suare.

Ad tertiam dico, Verbum Divinum assumpsisse naturam humanam cum omnibus perfectionibus ei connaturalibus, possibilibus cum unione hypostatica, de quarum numero sicut non est subsistentia, ita nec existentia.

Ad quartam dicendam, Concilia illa ab Albertino relata, solum velle quod natura humana non fuerit primario & immediatè assumpta ad aliquid absolutum & commune Trinitati; non negare tamen unionem hypostaticam, secundario & mediatè ad aliquid absolutum & toti Trinitati commune esse factam, ut articulo præcedenti conclusionem 3. ostensum est.

48. Objicies secundo: D. Thomas in questionibus disputatis quæst. de unione Verbi art. 4. in solut. ad 1. dicit quod esse humanæ naturæ non est esse divinæ naturæ: Sed hoc non potest verificari, si humanitas ad esse sive existentiam Verbi fuisset assumpta, utpote cum tale esse sit absque distinctione visuali idem cum eo quod convenit divi-

Tom. IV.

nae naturæ: Ergo ex S. Thoma humanitas Christi non est assumpta ad existentiam Verbi increatam, sed existit per existentiam creatam & sibi propriam.

Respondeo Doctorem Sanctum, vel per esse humanæ naturæ non intellexisse esse existentiam, sed esse sive actum essentia, quod frequenter accidit in ejus doctrina. Vel si locutus sit de esse existentia, sumere ipsum non in abstracto pro existentia, sed in concreto pro ipso existere: in quo sensu verum est dicere, etiam in nostra doctrina, quod esse humanæ naturæ, non est esse divinæ naturæ; etenim licet asseramus in Christo dari tantum unicam existentiam, per quam natura divina & humanitas simul existunt, tamen eo ipso quod duæ illæ naturæ non ex quo dicuntur existere existentiam divinam, sed natura divina primario, & humanitas secundario, sit inde existere unius dici posse aliquo modo diversum ab existere alterius.

Objicies tertio: Humanitas Christi prius prioritate non quidem temporis, sed naturæ, in rerum natura existit, quam fuerit assumpta ad personalitatem Verbi Divini: Ergo ut existens suam connaturali existentiam, elevata fuit ad subsistentiam Verbi Divini. Consequentia patet, probatur Antecedens. Humanitas Christi prius prioritate naturæ fuit producta, quam assumpta: Ergo & existens. Consequentia manifesta est, esse enim productum & esse existens sunt idem, cum productio terminetur ad existentiam. Antecedens verò probatur: Licet productio & assumptio humanitatis Christi, fuerint in eodem instanti, fuit tamen prius, prioritate naturæ, humanitatem produci, quam assumi: Ergo similiter prius prioritate naturæ fuit, quod esset producta, quam quod esset assumpta.

Respondeo negando Antecedens, & ad ejus probationem, nego iterum Antecedens; potius enim è contra prius prioritate naturæ humanitas Christi assumpta est, quam fuerit producta; siquidem non potuit esse existens, sive producta, quin prius prioritate naturæ esset subsistens, atque adeo assumpta. Ad probationem in contrarium, concessio Antecedente, nego Consequentiam & paritatem: Ratio disparitatis est, quia produci est nondum habere subsistentiam & existentiam: quamvis autem non sit inconveniens admittere quod prius prioritate naturæ humanitas Christi fuerit in via ad subsistentiam & ad existentiam, quam assumeretur à Verbo Divino, non possumus tamen dicere quod prius habuerit subsistentiam, subindeque nec existentiam, quam fuerit assumpta, sed potius è contra dicendum est, quod prius fuerit assumpta, quam existens.

Instabis tamen: Implicat aliquid esse prius assumptum, quam productum: Ergo falsum est quod humanitas Christi fuerit prius assumpta, quam producta. Consequentia patet, probatur Antecedens. Implicat aliquid prius esse, quam sit productum: Ergo & prius esse assumptum, quam sit productum. Antecedens constat, probatur Consequentia. Esse assumptum essentialiter supponit, vel saltem includit esse; etenim quod non est, non est assumptum, imò nec assumptibile: Ergo si implicet aliquid prius esse, quam sit productum, repugnabit similiter aliquid prius esse assumptum, quam productum.

Respondeo negando Antecedens, ad ejus probationem, distinguo Antecedens: Implicat ali-

quid prius esse existens, quam sit productum, conceditur. Esse tendens ad existentiam, negatur. Tendere enim ad existentiam, non est esse factum, sive productum, sed fieri, sive produci.

54. Objicies quarto: Unio humanitatis non est facta ad aliquid absolutum & commune toti Trinitati, alias tres personae Sanctissimae Trinitatis fuissent incarnatae: Sed existentia est aliquid absolutum & commune tribus personis, ut enim in Tractatu de Trinitate ostendimus, in divinis non dantur tres existentiae relatae, sed unica absoluta, per quam tres personae Sanctissimae Trinitatis existunt: Ergo unio humanitatis non est facta ad increatam Dei existentiam, sed duntaxat ad ejus subsistentiam & personalitatem.

Disp. 3.
art. 6.

55. Respondeo distinguendo Majorem: Unio humanitatis non est facta ad aliquid absolutum, primario & immediate, concedo Majorem. Secundario & mediate, nego Majorem; humanitas enim fuit assumpta primario ad ipsam subsistentiam personalem Verbi Divini; secundario vero & mediate ad subsistentiam absolutam, sive ad existentiam communem tribus personis Sanctissimae Trinitatis, ut articulo precedenti declaravimus. Nec tamen ex hoc sequitur, tres personas Sanctissimae Trinitatis fuisse incarnatas, etiam secundario; quia (ut ibidem expendimus) ad hoc requireretur, quod terminus primarius Incarnationis esset aliquid absolutum & commune tribus personis. An vero humanitas subsistentiae absolutae, subindeque existentiae, primario & immediate uniri poterit? articulo sequenti dicemus.

56. Objicies ultimo: Nulla divina perfectio potest actuare naturam creatam: Sed existentia divina non potest humanitatem Christi existentem reddere, nisi illam actuet: Ergo non potest illi uniri, nec illam existentem constituere. Major pater, nam ideo non potest divina essentia esse actus naturae creatae, quia creatam actuare naturam, imperfectionem importat: Ergo id repugnat omni perfectioni divinae. Minor probatur primo: Existentia ex proprio conceptu est actus ultimus in linea essendi: Ergo non potest naturam aliquam existentem constituere, nisi aut per identitatem, aut per physicam actionem: Sed cum natura creata existentia divina identificari non potest: Ergo ut illam existentem constituat, debet illam actuare. Secundo, Essentia creata comparatur ut potentia ad existentiam per quam redditur existens: Ergo existentia illam existentem constituens, necessario ad ipsam comparatur ut actus, & consequenter non stat existentiam divinam, naturam creatam existentem constituere, sine illius actione.

57. Respondeo distinguendo Majorem: Nulla divina perfectio potest actuare naturam creatam, per informationem intrinsecam, concedo Majorem. Per intrinsecam terminationem, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam existentia ex suo formali conceptu non petit actuare informativè, sed tantum terminativè: licet autem perfectionibus divinis repugnet uniri cum natura creata, tanquam actus informantis, non tamen illis repugnat uniri, ut actus complentes & terminantes; nam isto modo unitur cum natura creata personalitas divina. Nec contra hanc distinctionem obstat probatio Majoris, nam essentia sub conceptu essentiae non potest aliquam actuare naturam, nisi per identitatem, vel physicam informationem; &

A quia isti modi actuandi naturam creatam, imperfectionem Deo repugnantem important, ideo essentia divina sub conceptu essentiae, non potest esse actus naturae creatae. Nec magis obstant duae probationes Minoris. Non prima, nam existentia ex proprio conceptu formali non est actus ultimus informantis, sed actus ultimus terminans. Nec secunda, essentia enim per ordinem ad existentiam, secundum formalem existentiae conceptum, non est potentia informabilis, sed potentia terminabilis; licet respectu existentiae creatae propriae, quae terminare sine informatione non potest, potentia informabilis sit.

B

ARTICVLVS III.

An Deus, ut communis tribus personis, ratione subsistentiae absolutae, possit alienam naturam assumere.

§. I.

Quibusdam praemissis conclusio affirmativa statuitur.

Certum est quod si Deus non esset trinus in personis, sed unus, & unam tantum personalitatem absolutam gauderet, posset alienam naturam assumere, illique immediate uniri, nam esset in illo casu eadem omnipotentia in Deo, quae cum Deo conveniat pro priori ad relationes & personas, eadem perseveraret, etsi per impossibile in Deo tres personae relationibus distinctae non essent. Similiter in illa hypothese personalitas absoluta, quae Deus constitueretur in ratione personae, non minus esset infinita in terminando, quam sit modo proprietates relativa; cum infinita vis in terminando, non a relationibus, sed a natura, vel subsistentia absoluta, in subsistentis relativis imbibita, tanquam a prima radice oriatur, ut articulo precedenti, conclusione 4. declaravimus. Unde D. Thomas hic art. 3. ad 2. ait, *quod etiam circumscriptis per intellectum personalitatis trium personarum remanebit in intellectu una personalitas Dei, ut Iudaei intelligunt, ad quam poterit terminari assumptio, sicut nunc dicimus eam terminari ad personam Verbi.* Solum ergo difficultas est & controversia inter Theologos, an supposito quod sint in Deo, ut fides docet, tres personae proprietatibus relativis constitutae, possit natura divina, vel hic Deus, ut communis tribus personis, ratione subsistentiae absolutae, assumere alienam naturam, illique immediate uniri: Negant Vazquez, Zuniga, Meratius, & alij, qui existimant non dari in divinis aliquam subsistentiam absolutam, communem tribus personis, ac propriam naturae divinae, sed tres tantum subsistentias relativas, quibus constituuntur personae, agnoscunt. Alij cum Capreolo, licet concedant in Deo subsistentiam absolutam, negant tamen Deum posse per illam immediate terminare naturam creatam, eo quod talis subsistentia non sit incommunicabilis. Alij vero Thomistae contendunt, posse de potentia absoluta naturam creatam immediate assumi a Deo ut tribus personis communi, ratione subsistentiae absolutae qua de facto natura divina subsistit, etsi talis subsistentia incommunicabilitatem non tribuat, sed illa a relationibus oriatur. Ita Cajetanus, Medina, Alvarez, Nazarius, Cipullus, & alij, cum quibus Dico, Deum ut communem tribus personis,

ratione subsistentiæ absolutæ, posse alienam naturam assumere, illique immediatè uniri, subsistentiis relativis eam solum secundariò terminantibus.

59. Probatur primò conclusio ratione fundamentali. Quod est ratio subsistendi Deo in natura propria, potest etiam esse illi ratio subsistendi in natura aliena: At subsistentia absoluta, quam huic Deo ut communi tribus personis convenire ex Tractatu de Trinitate supponimus, est illi ratio subsistendi in natura divina, ut relationibus & personis præintellecta: Ergo ratione illius potest subsistere in natura creata, & consequenter ratione illius potest naturam creatam sibi assumere, illique immediatè uniri. Minor patet, Major autem ostenditur primò. Non alia de causa subsistentia relativa Verbi est illi ratio subsistendi in natura creata, nisi quia ratione illius subsistit per se primò in natura divina infinita: Ergo omne quod est Deo ratio subsistendi per se primò in natura propria, potest illi esse ratio secundariò subsistendi in natura aliena. Secundò, Id quod continet eminenter subsistentiam creatam, potest esse ratio supplens effectum illius, & consequenter subsistendi in natura creata: Sed quod est Deo ratio per se primò subsistendi in natura divina, eminenter continet subsistentiam naturæ creatæ: Ergo potest esse ratio subsistendi in illa. Tertio, Subsistentia Verbi non est ratio subsistendi in natura creata, quia relativa est, sed quia in propria linea infinita: At quod est Deo ratio subsistendi, in natura propria, est infinitum in linea subsistendi: Ergo potest esse Deo ratio subsistendi in natura creata.

60. Dices cum Capreolo, subsistentiam Verbi ideò esse rationem subsistendi in natura creata, quia cum ipsa incommunicabilis sit, continet eminenter creatam personalitatem; subsistentia verò absoluta communicabilis est, atque adeò continere non potest eminenter personalitatem creatam, de cujus conceptu est incommunicabilitas.

Sed contra primò: Personalitas creata duo præstat naturæ, nempe subsistere in se per independentiam à sustentante, & esse incommunicabilem supposito alterius naturæ: Sed quamvis subsistentia absoluta non contineat illam eminenter sub conceptu incommunicabilis, continet illam eminenter, quoad perfectitatem independentiæ: Ergo potest quoad hoc illius effectum supplere, & consequenter esse ratio subsistendi in natura creata quoad hoc subsistentiæ munus.

Secundò, Subsistentia relativa, ratione illius quod exprimit, non continet eminenter personalitatem creatam sumptam adequatè, id est prout includit perfectitatem independentiæ, & perfectitatem incommunicabilitatis, sed solum quantum ad inadæquatam rationem, nempe incommunicabilis, & ratione hujus immediatè unitur humanitati, & est Verbo ratio subsistendi in illa: Atqui etiam subsistentia absoluta continet eminenter inadæquatè personalitatem creatam, nimirum quantum ad perfectitatem independentiæ: Ergo poterit illam inadæquatè sumptam supplere, & esse Deo ratio subsistendi in natura creata.

Tertio, Licet subsistentia absoluta non sit incommunicabilis, constituit naturam divinam subsistentem, & est huic Deo ratio subsistendi in illa: Ergo pariter, quamvis sit communicabilis, poterit Deo esse ratio subsistendi in natura creata.

61. Probatur secundò conclusio ex fundamentis articulo præcedenti statutis: Nam ut ibidem con-

Tom. IV.

A clusione 4. ostendimus, tota vis terminandi quæ est in subsistentia relativa Verbi Divini, oritur radicaliter à subsistentia absoluta, in illa transcendentaliter inclusa: Ergo à fortiori talis subsistentia absoluta habet vim terminandi per seipsam immediatè naturam humanam. Unde sicut non obstante intimâ & mutuâ inclusione subsistentiæ absolutæ in relativa, & relativæ in absoluta, potest relativa per se primò & immediatè terminare naturam, absolutâ æquè primò non terminante: ita ex adverso potest subsistentia absoluta terminare per se primò & immediatè naturam humanam, subsistentiis relativis eam solum secundariò terminantibus.

§. II.

Solvuntur objectiones.

62. Contra istam conclusionem Vazquez hæc disputatione 27. cap. 2. sic arguit. Concilia & SS. Patres non cognoverunt possibilem unionem aliam naturæ creatæ cum Deo, nisi vel in natura, vel in persona: Sed unio cum hoc Deo ratione subsistentiæ absolutæ, nec est unio in natura, nec in persona: Ergo impossibilis censetur à Concilijs & Patribus. Minor videtur manifesta. Majorem autem probat primò, quia nullius alterius unionis mentionem unquam fecerunt.

63. Secundò, quia Concilium Toletanum 6. & 11. in confessione fidei, ex eo quod unio humanitatis cum Verbo non sit facta in natura, infert factam esse in persona: Sed si alia unio præter istas esset possibilis, consequentia à Concilio facta, bona non esset: Ergo censuit Concilium nullam aliam unionem esse possibilem.

64. Tertio, Anselmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 4. post medium arguens contra quendam hæreticum asserentem Incarnato Filio Dei, necesse fuisse incarnari Patrem & Spiritum Sanctum, infert ipsum censuisse unionem factam esse non in persona, sed in natura: At si præter unionem cum Verbo in persona, & unionem in natura, esset possibilis unio cum hoc Deo ut communi tribus personis, ratione subsistentiæ absolutæ, hæc Anselmi consequentia non valeret; nam per hoc quod unio fuisset facta cum subsistentia communi, salvaretur necessitas Incarnationis Patris, Filio incarnato: Ergo ex mente Anselmi, præter unionem in persona & in natura, non est alia possibilis.

65. Denique probatur ex D. Thoma quæst. præcedenti art. 2. in corp. ubi sic ait: *Omne igitur quod inest alicui persone, sive pertinet ad naturam ejus, sive non, unitur ei in persona: si ergo humana natura Verbo Dei non unitur in persona, nullo modo ei unitur, & sic totaliter tollitur Incarnationis fides.* At si esset possibilis unio cum hoc Deo, ratione subsistentiæ absolutæ, ex eo quod humanitas non fuisset Verbo unita in natura, nec in persona, malè inferret D. Thomas nullo modo esse unitam, quandoquidem restaret alius modus unionis possibilis: Ergo ex D. Thoma non est possibilis alia unio humanitatis cum Deo, præter unionem in natura, & in persona.

66. Respondeo negando Majorem, & ad primam illius probationem, prætermisso Antecedente, nego Consequentiam; quod enim alterius unionis mentionem Patres non fecerint, non est quòd illam impossibilem judicaverint, sed quia Hæretici contra quos agebant, Eutichiani scilicet

Qqq ij

licet & Nestoriani, solum de duplici illo modo unionis contendebant, nempe in natura, & in persona.

67. Ad secundam probationem respondeo primò negando Majorem, verba enim Concilij Toletani hæc sunt: *Solus tamen Filius formam servavit accepti in singularitate persone, non in unitate nature; in id quod proprium est Filij, non quod est commune Trinitati.* Ubi, ut clarè constat, docet Concilium, unionem factam esse in persona, non in natura; in id quod proprium est Filij, non quod est commune toti Trinitati, non tamen unum infert ex alio. Falso ergo supponit Vazquez, Concilium Toletanum ex negata unionem in natura, inferre factam esse in persona.

68. Respondeo secundò, prætermittam Majori, distinguendo Minorem. Consequentia bona non esset, ex terminis, concedo Minorem: ad hominem, nego Minorem, & Consequentiam, nam definitio Concilij contra hæreticos procedebat, & quia illi vel existimabant non esse aliam unionem possibilem, vel nullius alterius mentionem fecerant, nisi tantum unionis in natura, & unionis in persona, contra illos arguens Concilium, rectè inferebat ex eo quod unio humanitatis cum Verbo non sit facta in natura, factam esse in persona, quia licet argumentum non concluderet ex vi terminorum, ad hominem tamen, seu ex concessis ab Adversarijs, efficaciter inferebat intentum, & ex his ad tertiam probationem constat solutio.

69. Ad ultimam variè respondent nostri Thomistæ, Medina enim & Cabrera dicunt, D. Thomam arguere suppositâ fide docente unionem humanitatis, cum solo Filio esse factam, quod probant ex titulo illius articuli, ubi quaeritur, *An unio Verbi incarnati facta sit in persona?* Sic autem bona est D. Thomæ illatio seu ratiocinatio: Unio humanitatis est cum solo Verbo facta: Sed non est facta in natura: Ergo facta est in persona. Cajetanus verò respondet, quod cum D. Thomas docet omne quod alicui personæ inest, uniri illi in persona, intelligendus est de unione in persona ut abstrahit à completa & incompleta; ex qua doctrina sic intellecta rectè inferitur, quod si humanitas non esset unita Verbo in natura, nec in persona, nullatenus ei foret unita. Juxta quam explicationem ad argumentum responderetur, concessa Majori, negando Minorem, ad cujus probationem dicatur, modum illum unionis possibilem, nempe cum hoc Deo ut communi tribus personis, etiam esse modum unionis in persona, non completa, sed incompleta. Hæc solutiones probabilitate non carent. Potest tamen melius responderi: unionem naturæ creatæ cum hoc Deo ut subsistente subsistentiâ absolutâ, etsi ex primario conceptu personalis non esset, nec unio in persona, quia hic Deus sic consideratus persona non est, ex consequenti tamen necessariò fore personalem, quia talis unio secundariò & consequenter ad tres personas Sanctissimæ Trinitatis terminaretur: unde negatâ unionem humanitatis in persona, etiam unio illius cum hoc Deo ut subsistente subsistentiâ absolutâ negatur, subindeque rectè discurretur S. Doctor, dum ait: *Si ergo humana natura Verbo Dei non unitur in persona, nullo modo ei unitur, & sic totaliter tollitur Incarnationis fides.*

70. Objicies secundò: D. Thomas in 3. dist. 5. qu. 2. art. 1. docet quod non remanente aliquâ personalitate in natura divina, illa non posset sibi as-

A sumere naturam creatam: Sed abstractis per intellectum proprietatibus relativis, non intelligitur personalitas aliqua in Deo, esto subsistentia absoluta admittatur; hæc enim, cum sit tribus personis communis, personalitas non est: Ergo quamvis concedatur in Deo subsistentia absoluta, non potest hic Deus ratione illius immediatè assumere naturam creatam.

71. Respondeo personalitatem creatam duo præstatè naturæ, primum est illam complere & reddere subsistentem perfectè independentiæ à sustentante, secundum est constituere suppositum incommunicabile alteri; ex quibus primum habet natura divina ratione sui ut personis præintelligitur, secundum verò accipit à proprietatibus relativis. Cum ergo D. Thomas loco citato docet circumscriptâ personalitate à natura divina, non posse assumere naturam creatam, intelligendus est de circumscriptio personalitatis quantum ad omnem effectum & conditionem. Quod autem hæc interpretatio legitima sit, clarè patet ex eo quod S. Doctor loco citato ait: *Circumscriptio persona à natura divina potest dupliciter intelligi; uno modo quod circumscribitur omnis ratio personalitatis &c.* Nam ly omnis ratio circumscriptio personalitatis, quantum ad omnem effectum & conditionem significat. Tum etiam quia ibidem de natura intellecta sine personalitate ait: *Sic non conveniet ei neque assumere, neque aliquid agere:* Ergo eodem modo exigit personalitatem in natura divina ad assumendum naturam creatam, & ad agendum: Sed ut agat non est necessaria personalitas sumpta quoad omnia, sed solum quoad aliquam conditionem, scilicet perfectitatis independentiæ; nam hic Deus pro priori ad relationes, in omnium sententia, concipitur intelligens & volens: Ergo ut immediatè assumat naturam creatam, non est necessaria personalitas sumpta completè, sed sufficit personalitas incompletè sumpta, & ut solum importat perfectitatem independentiæ.

C Objicies tertio: Implicat dari hominem à patre rei qui non sit persona: At si humanitas terminaretur per se primò per subsistentiam absolutam, talis homo non esset persona, quia non esset subsistens incommunicabiliter; sicut enim subsistentia absoluta non reddit naturam divinam incommunicabilem, sed reddit illam communicabilem tribus personis; ita similiter non redderet naturam creatam quam terminaret, incommunicabilem alieno supposito: Ergo implicat humanitatem per subsistentiam absolutam per se primò terminari.

72. D Respondeo concessâ Majori, negando sequentem Minorem, ad cujus probationem dicendum, quod quamvis natura creata terminata immediatè per subsistentiam absolutam Dei, non esset incommunicabilis formaliter & immediatè ex vi talis subsistentiæ, benè tamen mediatè sive secundariò; quia eo ipso quod tali subsistentiæ absolutæ primariò & immediatè uniretur, secundò & mediatè terminaretur per subsistentias relativæ personarum divinarum, à quibus redderetur incommunicabilis.

73. E Respondeo concessâ Majori, negando sequentem Minorem, ad cujus probationem dicendum, quod quamvis natura creata terminata immediatè per subsistentiam absolutam Dei, non esset incommunicabilis formaliter & immediatè ex vi talis subsistentiæ, benè tamen mediatè sive secundariò; quia eo ipso quod tali subsistentiæ absolutæ primariò & immediatè uniretur, secundò & mediatè terminaretur per subsistentias relativæ personarum divinarum, à quibus redderetur incommunicabilis.

74. Objicies quartò: Illud quod sibi naturam creatam substantialiter conjungit, impedit propriam hujus naturæ personalitatem: Atqui subsistentia communis non potest impedire propriam naturæ humanæ personalitatem: Ergo non potest illam sibi substantialiter unire. Major est certa, alias enim cum natura simul assumeretur persona,

quod est impossibile, ut disputatione sequenti patebit. Minor verò probatur: Illud solum potest impedire personalitatem creatam, quod potest tribuere naturæ totum quod potest ei conferre propria personalitas: Atqui subsistentia communis non potest conferre naturæ totum quod ei tribueret propria personalitas: Ergo illam non potest impedire. Major patet, Minor probatur. Subsistentia propria tribuit naturæ quam terminat per se existentiam, & incommunicabilitatem; subsistentia verò absoluta, posset quidem tribuere naturæ existere per se, sed non incommunicabilitatem: Ergo non posset ipsi conferre totum quod ei tribueret propria personalitas.

75. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, nam per unionem humanitatis ad subsistentiam Dei absolutam, formaliter excluditur & impeditur propria personalitas, quia hic modus existendi in alio tanquam in sustentante, formaliter repugnat cum propria subsistentia. Unde ad probationem in contrarium, nego Majorem: Ad hoc enim ut subsistentia absoluta impediatur in natura assumpta propria personalitate, sufficit quod tribuat illi naturæ existere per se, licet non conferat illi incommunicabilitatem; nam cum ratio existendi per se sit prior in persona ipsa incommunicabilitate, impeditur personalitate propria sub prima ratione, consequenter impeditur absolute ne resultet ex humanitate assumpta.

Addo quod, licet per unionem humanitatis ad subsistentiam absolutam non conferretur ei formaliter & immediate incommunicabilitas, bene tamen concomitantur & mediatè; quia eo ipso quod talis natura subsistentiæ absolutæ primariò & immediate conjungeretur, secundariò & mediatè (ut supra dicebamus) uniretur tribus subsistentiis relativis divinarum personarum, à quibus redderetur incommunicabilis.

ARTICVLVS IV.

76. *Utrum plures Personæ Divinæ possint terminare immediate eandem numero humanitatem, & plures humanitates ab eadem persona assumi?*

§. I.

Quibusdam premissis, utraque difficultas resolvitur.

76. CERTUM & indubitatum est apud omnes Theologos, posse quamlibet ex personis divinis, creatam terminare naturam, illique hypostaticè uniri: Nam ut discuntur D. Thomas hic art. 5. assumere naturam creatam convenit Deo ratione omnipotentis ut principij assumptionis, & ratione personalitatis ut termini: Sed cuilibet ex personis divinis convenit omnipotentia, & propria personalitas, infinita in terminando, seu habens vim terminativam infinitam: Ergo quælibet persona divina potest sibi assumere naturam creatam, eique hypostaticè uniri.

Nec inconveniens censeri debet, Patrem, supposito quod carnem sumeret ex Virgine, fore illius filium; nam filiatio hæc temporalis competet Patri, ut terminanti temporalem generationem, esse verò patrem illi conveniret, ut est principium generationis æternæ: non repugnat autem eandem personam divinam esse patrem & fi-

77. **A** lium secundum diversas rationes, nec ex hoc sequitur divinarum personarum confusio, ut notavit D. Thomas hic art. 5. ad 1. In eo tamen casu Pater, ut subsistens in natura creata, non posset dici filius naturalis Dei, sicut Christus: quia Christus, ut subsistens in humanitate, est filius naturalis Dei, ratione filiationis æternæ in tempore humanitati unitæ: si verò Pater sibi humanitatem assumeret, ut subsistens in illa, non esset filius Dei filiatione æternâ, unitâ in tempore humanitati, quandoquidem non filiatio, sed paternitas humanitati uniretur: Ergo Pater ut subsistens in humanitate, non esset nec dici posset filius Dei naturalis per gratiam unionis, sicut Christus.

B Constat etiam ex dictis articulo præcedenti, posse tres personas divinas simul unam terminare naturam, terminatione mediata, ratione deitatis, seu subsistentiæ absolutæ, eam immediate terminantis: ut enim ibidem dicebamus, eo ipso quo natura creata subsistentiæ absolutæ primariò & immediate conjungeretur, tribus subsistentiis relativis divinarum personarum, subindeque tribus personis, secundariò & mediatè uniretur. Tota ergo difficultas consistit in unione seu terminatione immediata, an scilicet tres personæ divinæ possint immediate uniri eidem naturæ, illam terminando immediate per subsistentias relativæ & personales?

C Partem negativam tenent Scotus & Discipuli ejus, quibus adhæsit Cardinalis Delugo disp. 18. sect. 6. Affirmativam verò cum S. Doctore amplectuntur alij Theologi & mediatè, quia domestici, cum quibus

Dico primò, plures personæ divinæ possunt assumere eandem naturam, eamque proprijs subsistentiis relativis immediate terminare. Ita D. Thomas hic art. 6.

78. Probatur conclusio ratione quam ibidem innuat: Si simultanea terminatio ejusdem naturæ à tribus personis divinis repugnet, deberet repugnantia se tenere vel ex parte personarum terminantium, vel ex parte naturæ terminabilis: Sed ex neutro capite potest repugnantia seu contradictio reperiri: Ergo simultanea illa ejusdem naturæ terminatio non repugnat. Major patet, Minor etiam quantum ad primam partem, est certa, nam personæ divinæ non se excludunt à convenientia in eadem natura, cum omnes simul terminent naturam divinam: Ergo ex parte illarum, non implicat simultanea terminatio ejusdem naturæ creatæ. Pro secunda verò parte probatur: Natura creata est terminabilis à persona divina, ratione potentis obediæntialis: Sed ex parte hujus potentis nulla repugnantia oritur, si ex parte termini nulla includatur: Ergo non repugnat simultanea terminatio à tribus personis divinis ex parte naturæ creatæ.

E Confirmatur: Tres personalitates divinæ simul terminant naturam Dei: Ergo possunt simul terminare eandem naturam creatam. Patet Consequentia primò, nam quod personalitas divina possit extendi secundariò ad terminandam naturam creatam, illi convenit, quia primariò terminat naturam divinam, in qua omnis natura creata eminenter continetur: Ergo si omnes simul in natura divina primò terminanda conveniunt, possunt etiam simul in natura creata secundariò terminanda adunari. Secundò probatur à paritate rationis, si enim natura divina tribus subsistentiis subsistit, in hoc quod est unam & eandem

naturam tribus subsistentijs subsistere, nulla involvitur implicatio, ac proinde non repugnabit naturam creatam tribus subsistentijs divinis terminari.

80. Respondent Adversarij, negando consequentiam & paritatem, quòd enim (inquiunt) natura divina possit tribus subsistentijs terminari, illi convenit ob suam infinitatem, ac proinde ad naturam creatam, limitatam, & finitam extendendum non est.

81. Sed contra primò: Licet infinitas naturæ divinæ sit ratio propter quam est pluribus modis infinite & ad intra terminabilis, non tamen est ratio formalis propter quam est pluribus modis terminabilis ut sic, abstrahendo a terminatione finita & infinita, à terminatione ad extra & ad intra; unde nihil aliud concludit instantia seu disparitas assignata, quam quod natura creata, eo ipso quod finita est, non est simul terminabilis pluribus modis, nisi finitis & extrinsecis, cum quo stat veritas nostræ conclusionis.

82. Secundo: Licet naturam aliquam posse terminari pluribus subsistentijs divinis connaturaliter, idque ab intrinseco exigere, ex infinitate proveniat, esse tamen terminabilem solum præternaturaliter, & per potentiam obedientialem, infinitatem non arguit: At non primo sed secundo modo constituitur à nobis natura creata simul terminabilis à tribus personis divinis: Ergo limitatio non obstat. Minor patet, Major verò sic ostenditur. Terminabilitas connaturalis ab una personalitate infinita, non potest competere naturæ quæ infinita non sit, & tamen posse obedientialiter terminari ab una personalitate infinita, infinitatem non arguit, nam de facto convenit naturæ limitatæ & finitæ: Ergo pariter licet posse connaturaliter terminari tribus subsistentijs divinis, idque ab intrinseco exigere, infinitatem naturæ necessariò requirat, posse tamen obedientialiter illis uniri, ab eisque terminari, infinitatem non arguit, sed naturæ finitæ & limitatæ convenire potest.

83. Dico secundo: unam personam divinam posse simul plures naturas assumere. Ita D. Thomas hic art. 7. & Theologi communiter.

Probatum ratione D. Thomæ, ad hanc formam redacta: Vis assumptiva conveniens divinæ personæ, non comprehenditur ab una natura creata: Ergo potest cum illa aliam naturam assumere. Consequentia patet, nam eo ipso quod vis assumptiva non comprehendatur ab aliqua una natura, non adæquatur cum illa, ac per consequens illam excedit, ex quo ulterius fit ut ad aliam assumendam possit extendi. Antecedens verò sic ostenditur: Vis assumptiva naturæ creatæ convenit personæ divinæ ratione omnipotentis ut principij, & personalitatis ut termini: Sed nec omnipotentia ut principium, nec personalitas ut terminativa, comprehendi possunt ab una natura creata; cum omnipotentia ut activa, & personalitas ut terminativa sint infinite, & infinitum à finito comprehendi non possit: Ergo vis assumptiva competens divinæ personæ, comprehendi non potest ab una natura creata.

§. II.

Solvuntur objectiones.

84. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Non potest unum & idem à pluribus adæquatè dependere, alias penderet & non pen-

A deret à quolibet, ut demonstrant nostri Thomistæ in physica, cum docent unum & eundem esse. Cum non posse produci à pluribus causis totalibus & adæquatis: At si natura creata tribus personis divinis uniretur, à qualibet illarum adæquatè penderet: Ergo repugnat unam & eandem naturam à pluribus personis divinis assumi. Major videtur certa, Minor verò suadetur. Id ab altero adæquatè dependet, quod existit illo posito, & quovis alio secluso: Sed natura creata tribus personis divinis unita, existeret posita unione cum qualibet illarum, & alio quocunque secluso: Ergo à qualibet divinarum personarum totaliter & adæquatè penderet.

B Huic objectioni variè respondent Authores nostræ sententiæ, sed verior solutio illa est quam tradunt Capreolus & Cajetanus, qui docent quod licet non possit unum & idem à duobus adæquatè dependere dependentiâ causali, quæ est dependentiâ stricta; potest tamen dependentiâ non causali, sed terminativâ, quæ dependentiâ stricta non est, unum & idem à duobus dependere adæquatè, adæquatione intensivâ, non tamen adæquatione extensivâ: unum enim album unâ relatione similitudinis adæquatè intensivè ab uno albo terminatur, non tamen adæquatè extensivè, potest enim ex vi ejusdem relationis ad plura alba terminari, & de facto terminatur ad omnia cum quibus in graduâ intensione similitudinem habet. Pater etiam in creatis, ex vi ejusdem relationis quæ ad unum filium refertur, & ad illum adæquatè intensivè terminatur, refertur ad novum filium, si adveniat, ac proinde à primo filio non terminatur adæquatè adæquatione extensivâ: natura autem creata unita alieno supposito, non dependet ab illo dependentiâ strictâ & causali, sed dependentiâ non causali & terminativâ, ut extremum terminabile à termino terminante: ac proinde quamvis unita uni ex personis divinis, ab illa adæquatè intensivè terminetur, non tamen adæquatè extensivè; & idcirco uni ex personis divinis unita, potest uniri cum alijs.

D Dices, corpus non dependet à loco dependentiâ strictâ & causali, sed tantum dependentiâ veluti terminativâ, comparatur enim ad illum tantum ad terminum; & tamen implicat in sententiâ D. Thomæ, unum corpus esse circumscriptivè in duobus locis adæquatis: Ergo licet natura non dependeat à personalitate, dependentiâ strictâ & causali, sed tantum terminativâ, repugnabit naturam semel ab una persona adæquatè terminatam, ab altera terminari, & consequenter non poterit simul uniri pluribus personis divinis.

E Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem: Ratio discriminis est, quia locus circumscriptivus adæquatur corpori locato, non solum adæquatione intensivâ, verum etiam extensivâ; implicat autem duplex terminus adæquatus utraque istâ adæquatione: una verò persona divina solum est terminus adæquatus intensivè respectu naturæ creatæ, ac proinde illam ab alia persona terminabilem relinquit. Ratio autem cur locus circumscriptivus, non solum intensivè, sed etiam extensivè, corpori locato adæquatur, secus autem una persona divina respectu naturæ creatæ, est quia extensio localis corporis provenit à quantitate ut effectus formalis secundarius; forma autem non dat effectum formalem ratione potentis obedientialis, sed

fed ratione potentia naturalis, quæ cum uno effectu formali primario vel secundario extensivè & intensivè adæquatur; ac proinde non potest una & eadem quantitas, etiam de potentia absoluta, duas extensiones adæquatas in ordine ad locum præstare: natura verò creata terminatur à persona divina ratione potentia obedientialis, quæ licet à qualibet persona divina adæquatè intensivè terminetur, à nulla tamen illarum terminatur adæquatè extensivè, ita ut quod convenit divinæ naturæ connaturaliter, naturæ creatæ conveniat obedientialiter.

88. Objicies secundò: Implicat idem numero accidens simul recipi in pluribus subjectis, ut docent communiter Thomistæ in Metaphysica: Ergo & unam numero naturam subsistere in tribus suppositis.

Sed nego consequentiam & paritatem: Ratio disparitatis est, quia cum accidens desumat suam unitatem numericam à subjecto, si idem numero accidens existeret in pluribus subjectis simul, esset idem numero ex suppositione, & diversum numero, juxta diversitatem subjectorum: At verò natura substantialis non habet suam unitatem numericam à persona, sed potius è contra ipsa persona, si sit creata, sumit suam unitatem numericam à natura quæ in ea subsistit.

89. Objicies tertio: Implicat naturam creatam sistere in uno supposito, & simul transire ad aliud: Sed si terminata à Verbo, posset simul terminari ab alia ex personis divinis, sisteret in vno supposito, & simul ad aliud transire: Ergo implicat naturam creatam, unitam uni personæ divinæ, & in illa subsistentem, simul alteri personæ uniri. Maior est certa, nam sistere in uno supposito, & simul transire ad aliud, est sistere & non sistere simul, quæ contradictoriè opponitur. Minor autem probatur: Subsistere in Verbo idem est quod sistere in illo, ut ex ipsa nominis etymologia videtur: Sed humanitas terminata à Verbo, subsistit in illo: Ergo si posset simul alteri personæ uniri, sisteret in uno supposito, & non sisteret in illo.

90. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad probationem nego Majorem; naturam enim subsistere in alieno supposito, non est sistere in illo, sicut subsistere in proprio supposito, non est in illo sistere; ut constat in natura divina, quæ subsistens in Patre, non sistit in illo, cum exclusione subsistendi in alijs suppositis; sed subsistere in alieno supposito, est ab illo sustentari & terminari; cum qua terminatione stat terminari per aliud, ut constat in eodem exemplo.

91. Objicies quartò: Si natura creata posset esse simul in pluribus divinis personis, esset infinita: Sed hoc repugnat: Ergo & illud. Sequela probatur: Ex hoc colligimus naturam divinam esse infinitam, quòd in pluribus suppositis subsistat: Ergo si pariter natura creata posset esse simul in pluribus divinis personis, infinita erit.

92. Respondeo negando sequelam, & ad ejus probationem, distinguo Antecedens: quia potest esse in pluribus suppositis, connaturaliter, ea exigendo, & sibi identificando, concedo Antecedens. Quia potest esse in pluribus suppositis absolute, aut per potentiam obedientialem, nego Antecedens, & Consequentiam: Natura enim creata esse potest in pluribus suppositis non connaturaliter, nec ab intrinseco ea exigendo, nec per identitatem cum illis, sed tantum per non repugnantiam, & potentiam obedientialem, ut in paragrafo precedenti declaravimus.

Tom. IV.

ARTICVLVS V.

Verum in casu quo una persona divina plures humanitates assumeret, vel è contra plures personæ unam assumerent humanitatem, essent tunc unus homo, vel plures?

IN huius difficultatis resolutione triplex verifatur sententia. Prima asserit quod in casu quo una persona divina duas assumeret humanitates, esset dicenda duo homines, non unus. Ita Scotus, Durandus, Altsiodorensis, & Capreolus, quos sequitur Vazquez. Secunda est Cajetani & Medinae hic artic. 6. existimantium in casu quo tres personæ assumerent eandem humanitatem, fore tres homines simpliciter in una natura. Tertia, quæ communior est in Schola D. Thomæ, docet quod in utroque casu non essent plures homines, sed unus tantum.

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

DIco primò: In casu quo una persona divina duas humanitates assumeret, diceretur unus homo, non duo.

Probatum primò ex D. Thoma hic artic. 7. ad 2. ubi ait: *Si persona divina assumeret duas naturas humanas, propter unitatem suppositi, diceretur unus homo habens duas naturas humanas*: Ergo ex D. Thoma persona assumens duas naturas humanas, esset unus homo, non duo.

Confirmatur ex eodem S. Doctore 1. p. q. 36. artic. 4. ad 2. ubi docet quod licet Pater unà proprietate sit principium Filij, & alià Spiritus Sancti: non tamen dicendus est plura principia, quia implicaretur pluralitas suppositorum: Ergo pariter in casu duplicis humanitatis assumptæ ab eadem persona, non dicerentur duo homines, sed unus homo, propter unitatem suppositi, utramque naturam terminantis.

Probatum secundò conclusio: In Christo reperiuntur duæ naturæ substantiales, nempe divina & humana, & tamen quia personalitas per quam in utraque natura subsistit, est una, non dicuntur duæ substantiæ, sed una substantia: Ergo pariter in casu duplicis humanitatis assumptæ ab eadem persona, non dicerentur duo homines, sed unus homo.

Probatum tertio conclusio ratione fundamentali: Ad multiplicationem concreti substantivi, non sufficit sola multiplicatio formarum, sed requiritur ulterius multiplicatio suppositorum: At hoc nomen homo est concretum substantivum, & aliàs in casu posito non esset nisi una persona, quamvis essent duæ naturæ humanae: Ergo tunc non esset nisi unus homo. Minor est certa, Major verò communiter docetur in summulis, & varijs potest declarari exemplis: Nam, ut supra dicebamus, etsi Pater Divinus habeat in se virtutem generandi Filium, & virtutem spirandi Spiritum Sanctum, non dicitur duplex principium, sed unum, propter unitatem suppositi. Item pater & filius in creatis sunt nomina substantiva, & tamen quamvis demus patrem plures filios respicere pluribus relationibus paternitatis, non dicuntur plures patres, sed unus pater. Et quamvis filius pluribus relationibus

R II.

filiationis respiciat patrem, & matrem, non dicuntur plures filij, sed unus filius. Similiter quamvis Christus plures habeat filiationes, unam temporalem ad Virginem, aliam æternam ad Patrem, non dicitur plures filij, sed unus, ut docet Nazianzenus orat. 31. Demum hæc nomina, *artifex & dominus*, substantiva sunt, & tamen habens plures artes, non dicitur plures, sed unus artifex; & dominus plures habens servos, esto illos per plures relationes dominij respiciat, non dicitur plures sed unus dominus, ut docet Augustinus 7. de civit. cap. 20. dicens: *Nunquid si unus homo in diversis rebus duas habet potestates, aut duas artes, quia singularum diversa vis est, ideo duo iudices aut duo dicuntur artifices?* Ergo ad multiplicationem nominis substantivi, non sufficit multiplicitas formæ, sed insuper pluralitas suppositorum requiritur. Unde D. Athanasius in Symbolo docet quod tres personæ divinæ non sunt tres increati, sed unus increatus, nec tres omnipotentes, sed unus omnipotens, quia hæc nomina substantivè usurpat: si enim adjectivè sumantur, tres increati, & tres omnipotentes dici possunt, quia ad multiplicationem nominis adjectivi, non requiritur multiplicatio formæ significatæ, sed sufficit subiectorum seu suppositorum pluralitas.

97. Dico secundò: In casu quo tres personæ assumerent unam humanitatem, non essent plures homines, sed unus homo. Ita expressè docet S. Thomas hic art. 6. ad 1. Nec valet interpretatio Cajetani & Medina dicentium illum non loqui de unitate simpliciter, sed secundum quid. Tum quia S. Doctor ait tres personas divinas assumentes eandem humanitatem, esse unum hominem, propter unitatem humanitatis, sicut sunt unus Deus, propter unam deitatem: Sed unus Deus simpliciter, propter unam deitatem: Ergo sentit in casu nostræ quæstionis, fore simpliciter unum hominem, propter unam humanitatem. Tum etiam, quia si hæc interpretatio valeret, posset etiam D. Thomas eodem modo explicari, cum docet art. 7. ad 2. in casu quo una persona divina duas humanitates assumeret, fore unum hominem, cum eodem modo in utroque casu loquatur, imò utrumque æquiparet art. 6. in corpore: At hoc non admittunt Cajetanus & Medina, sed fatentur in casu quo una persona divina duas humanitates assumeret, fore unum hominem simpliciter: Ergo eorum interpretatio legitima non est.

98. Potest insuper suaderi conclusio ratione ejusdem Doctoris Angelici. Tres personæ divinæ sunt simpliciter unus Deus, quamvis sint plura supposita, quia natura est una in illis: Ergo pariter si assumerent eandem humanitatem, quamvis essent plura supposita, quia natura esset una, foret unus homo simpliciter.

99. Responder primò Cajetanus, negando Consequentiam, quia tribus personis divinis non solum convenit una numero natura divina, sed etiam unus numero Deus in Deitate subsistens per subsistentiam absolutam, & ideo dicuntur unus numero Deus: in casu autem nostræ quæstionis, etsi tribus personis conveniat una numero humanitas, non tamen illis convenit unus numero homo, quia non datur unum subsistens in humanitate commune tribus personis.

100. Sed contra primò: D. Thomas 1. part. quæst. 39. art. 3. probans tres personas divinas esse unum Deum, non recurrit nisi ad unitatem formæ significatæ per hoc nomen Deus, scilicet deitatis. Similiter probans quæst. 36. art. 4. quod Pater &

A Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, id ostendit ex unitate proprietatis significatæ per hoc nomen principium: Ergo hæc solutio & doctrina Cajetani, non est ad mentem D. Thomæ.

Secundò, Tres personas divinas esse simpliciter unum Deum, est propositio de fide: Quod autem datur in Deo subsistentia absoluta, communis tribus personis, est tantum sententia probabilis: Ergo illi alliganda non est veritas prædictæ propositionis, sed independenter ab illa sententia dicendum est, tres personas esse simpliciter unum Deum, propter unitatem formæ significatæ per hoc nomen Deus, scilicet deitatis.

B Responder secundò Medina, negando etiam consequentiam & paritatem, & assignando aliam rationem discriminis, nempe quòd deitas est idem cum personis divinis, humanitas autem ab illis realiter distinguitur.

Sed nec etiam hæc solutio magis satisfacit, nam identitas naturæ divinæ cum personis, & negatio identitatis humanitatis cum illis, facit quidem ut deitas in abstracto prædicetur de personis, & humanitas in abstracto non possit prædicari de illis: ut autem una & non altera in concreto singulariter prædicetur, nihil conducere potest, quod sic probò. Differentia prædicta non tollit quominus utraque sumpta in concreto prædicetur de personis: Ergo nec facit quod una singulariter & altera pluraliter prædicetur de illis.

C Respondent tertio quidam Recentiores extra Scholam D. Thomæ, assignando aliam rationem discriminis: Deus enim (inquiunt) naturam divinam significat de formali & in recto, ac proinde numerum vel unitatem petit accipere ab illa: unde cum Deitas sit una simpliciter in tribus personis, tres personæ dicuntur simpliciter unus Deus: homo autem, prout dicitur de persona divina, non significat humanitatem in recto, sed subsistentiam in humanitate: cumque in nostro casu, quamvis una sit humanitas, subsistentiæ in illa sint plures, sit consequens ut absolutè & simpliciter plures homines dicantur.

D Sed hæc etiam solutio falso nititur fundamento, nempe quòd homo, ut dicitur de persona divina, significet in recto subsistentiam, & in obliquo naturam: Nam homo de nobis & de Filio Dei univocè prædicatur, ut fatentur omnes Theologi: At si ut dicitur de Verbo, in recto importaret subsistentiam, illamque significaret, & prout dicitur de nobis in recto significaret humanitatem, non prædicaretur de Verbo & de nobis univocè, cum natura creata & subsistentia increata, univocè non conveniant: Ergo homo ut dicitur de persona divina non significat subsistentiam in recto, sed humanitatem. Consequentia manifesta est, nam prout dicitur de nobis, humanitatem non verò subsistentiam significat in recto, ut illi Recentiores fatentur.

E Confirmatur: Si homo ut dicitur de persona divina significaret in recto subsistentiam, & in obliquo naturam, idem significaret & eodem modo quo persona: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela patet, nam persona in recto subsistentiam significat, & naturam in obliquo: Ergo si homo ut dicitur de persona divina, in recto subsistentiam significat, & in obliquo naturam, idem significat & eodem modo quo persona. Falsitas autem consequentis probatur. Persona non univocè sed analogicè dicitur de nobis & de Christo, cum Christus sit persona increata, nos autè creati simus personæ: Sed homo de nobis & Christo

univocè prædicatur: Ergo ut dicitur de Christo non est idem in significando quòd persona.

105. Confirmatur ampliùs: Si homo ut dicitur de persona divina, de formali in recto non naturam, sed subsistentiam in natura importaret, ideò esset quia non pro natura supponit, sed pro habente naturam: At hæc ratio non valet: Ergo &c. Major patet, Minor verò ostenditur primò: Homo, etiam prout de nobis dicitur, non supponit pro natura in recto, sed pro habente naturam; aliàs hæc propositio esset falsa, Petrus est homo, sicut hæc, Petrus est humanitas; & tamen prout de nobis prædicatur, non significat subsistentiam, sed naturam in recto: Ergo ex eo quod prout dicitur de persona divina, non supponat pro natura, sed pro habente naturam, non sequitur quod prout sic subsistentiam in recto de formali significet.

Secundò probatur eadem Minor: Ly *Deus* non supponit in recto pro natura divina, sed pro habente naturam, & tamen non significat in recto de formali subsistentiam; sed naturam, ut prædicti Recentiores fatentur: Ergo ratio prædicta nulla est. Obsequentia patet, Antecedens probatur. Si ly *Deus* supponeret in recto pro natura, & non pro habente naturam, pro eodem supponeret ly *Deus*, & ly *Deitas*: Sed hoc dici nequit, aliàs sicut hæc propositio, *Deitas generat*, est falsa & hæretica; ita ista, *Deus generat Deum*, falsa & hæretica esset, cujus oppositum docent omnes Catholici: Ergo ly *Deus* non supponit in recto pro natura, sed pro habente naturam.

§. II.

Solvuntur objectiones.

106. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: D. Thomas in 3. dist. 1. quæst. 2. art. 5. in solutione ad 2. & 3. expressè docet personam divinam duas assumentem humanitates, non fore unum hominem, sed plures homines, & hoc probat in solut. ad 2. quia videlicet singularitas & pluralitas termini substantivi, attenditur secundum unitatem & pluralitatem naturæ significatæ per terminum, & non secundum unitatem & pluralitatem suppositorum. Et 1. p. quæst. 36. art. 4. & quæst. 39. art. 3. asserit quod quia nomina substantiva significant aliquid per modum substantiæ, nomina verò adjectiva significant aliquid per modum accidentis; substantia autem sicut per se habet esse, ita per se habet unitatem, vel multitudinem; ideò singularitas vel pluralitas nominis substantivi, attenditur secundum formam significatam per nomen: Ergo cum ly *homo* nomen substantivum sit, ut docet idem S. Doctor hic art. 6. illius unitas vel pluralitas attendi debet penes formam significatam, & consequenter cum in prædicto casu humanitates essent plures, quamvis esset unicum suppositum, non esset unus homo, sed plures homines.

107. Ad primum D. Thomæ testimonium, respondeo illum hic art. 7. ad 2. hanc retulisse sententiam, & expressè retractasse. Nec valet solutio Capreoli dicentis S. Doctorem loqui in presenti de nominibus adjectivis, non de substantivis, cum docet ad sui pluralitatem exigere distinctionem suppositorum. Non valet, inquam, Tum quia rationem reddit, cur persona duas assumentes naturas, non duo homines, sed unus homo dicatur: At homo nomen substantivum est: Ergo in

Tom. IV.

A presenti de nominibus substantivis loquitur, & non solum de adjectivis. Tum etiam, quia (ut supra dicebamus) D. Thomas 1. p. quæst. 36. art. 4. ad 2. docet Patrem æternum propter plures proprietates non posse dici plura principia, quia (inquit) implicaretur pluralitas suppositorum: At principium nomen substantivum est, ut ibidem docet idem S. Doctor: Ergo cum ait nunquam nomen ab aliqua forma impositum dici pluraliter, nisi propter pluralitatem suppositorum, non solum de adjectivis, sed etiam de substantivis loquitur.

B Ad secundum dicendum cum Cajetano, Ferrarienti, & alijs Thomistis, D. Thomam ibi solum velle pluralitatem formæ significatæ attendi ad pluralitatem nominis substantivi, ut sufficientem, si sit substantivum abstractum, ut humanitas; si autem concretum sit, ut sic attendi ut requisitam ad pluralitatem nominis, non tamen ut sufficientem, nisi accedat ut conditio suppositorum pluralitas. Nec obstat quod S. Doctor ibi hujus conditionis mentionem non fecerit; illius enim ibi non meminit, Tum quia solum explicabat id in quo differunt substantiva & adjectiva, non verò id in quo conveniunt; illa verò conveniunt in necessitate multitudinis suppositorum. Tum etiam, quia ad doctrinam quam prædictis locis statuere intendebat, nempe nomina essentialia substantivè sumpta singulariter de personis prædicari, conditio illa necessaria non erat. Quæstione verò 36. ejusdem primæ partis art. 4. ad 2. ut salvaret Patrem non esse duo principia, ob duplicem proprietatem, secundum quarum unam est principium Filij, & secundum aliam principium Spiritus Sancti, dictam conditionem expressit, docens non esse duo principia, ob duplicem proprietatem, quia implicaretur pluralitas suppositorum.

C Objicies secundò: Si una persona divina simul assumens duas naturas humanas esset unus homo, eodem modo si assumens unam humanitatem, simul assumeret naturam leonis, esset unum animal: At falsum est quod assumens simul naturam humanam & naturam leoninam, sit unum animal: Ergo & quòd persona divina simul assumens duas naturas humanas, sit unus homo. Major patet ex paritate rationis, Minor probatur. Non potest unum & idem animal simul pertinere ad speciem hominis & ad speciem leonis, cum species ejusdem generis oppositas differentias importent: At si assumens simul naturam humanam & naturam leoninam, esset unum animal, idem animal simul ad speciem hominis & leonis pertineret: Ergo &c.

D Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, etenim hoc nomen *animal*, est concretum substantivum; ad pluralitatem verò concreti substantivi, requiritur pluralitas non solum formæ, sed etiam suppositi, ut paragrapho præcedenti ostendimus. Unde ad probationem in contrarium, distinguo Majorem: Unum & idem animal non potest simul pertinere ad speciem hominis & leonis, si sit unum non solum ratione unius subsistentiæ, sed etiam ratione unius naturæ & formæ, concedo Majorem. Si sit unum non ratione unius naturæ, sed duntaxat ratione unius subsistentiæ, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

E Objicies tertio contra secundam conclusionem: D. Thomas hic art. 6. ad 1. docet quod in casu quo tres personæ eandem humanitatem

R r r ij

assumerent, non essent unus homo simpliciter, sed tantum secundum quid, ait enim: *Non enim posset argui ex hoc quod tres persona sunt unus homo, quod essent unus simpliciter; nihil enim prohibet dicere quod homines qui sunt plures simpliciter, sint unus quantum ad aliquid, puta unus populus.* Ergo S. Doctor vult in eo casu tres personas divinas esse simpliciter plures homines, & unum tantum secundum quid.

112. Respondeo negando quod S. Doctor hoc loco doceat, tres personas divinas eandem humanitatem assumentes, non esse unum hominem simpliciter; ipse enim non dixit quod in eo casu tres personarum divinarum non sint unus homo simpliciter, sed solum quod non essent unus simpliciter; quae sunt valde diversa; nam ad primum sufficit unitas in natura humana, ad secundum vero requiritur unitas personalis: Unde tres personarum divinarum simpliciter unus Deus, & tamen non sunt unus simpliciter in genere masculino, sed solum unum neutraliter; quia primum denotat unitatem personalem, secundum autem unitatem in natura, ut docet S. Thomas 1. part. quaest. 31. art. 2. ad 4.

ARTICULVS VI.

An persona creata, de potentia Dei absoluta, possit terminare naturam alienam?

113. Certissimum est apud omnes Theologos, nullam personam creatam, nec creabilem, posse naturaliter, sive virtute propria, alienam terminare naturam: Tum quia substantia seu personalitas creata, limitatur, finitur, & determinatur a propria natura, tanquam a sua potentia. Tum etiam quia cum suppositum creatum non possit virtute naturali operari aliquid miraculum, mysterium Incarnationis non fuisset opus miraculosum, si persona creata posset naturaliter, sive virtute propria, alienam naturam terminare. Difficultas itaque solum est, num supernaturaliter, sive virtute divina, possit natura creata, vel creabilis, naturam aliam praeter propriam terminare?

114. Partem affirmativam docent Scotus, Nominales, Granadus, Beccanus, Theophilus Raynaudus, & alij ex Recentioribus. Valentia vero distinguens inter personam creatam & creabilem, fatetur quidem id personae creatae, etiam supernaturaliter, esse impossibile, non tamen personae creabili; posset enim in ejus doctrina produci aliqua tanta perfectionis & virtutis in terminando, ut etiam naturam alienam posset terminare. Contra hos Authores stant ex adverso communiter Thomistae, cum suo Praeceptore, hic art. 1. ad 2. quem sequuntur Vazquez, Suarez, Delugo, & alij Recentiores.

§. I.

Conclusio negativa statuitur, & auctoritate D. Thomae, ac duplici ratione firmatur.

115. Dico igitur: Non potest, etiam supernaturaliter, sive de potentia Dei absoluta, persona creata, vel creabilis, alienam terminare naturam.

Probatum primo ex D. Thoma loco mox citato, ubi sic habet: *Hoc autem est proprium divinae personae, propter ejus infinitatem, ut fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundum substantiam.*

116. Respondet Granadus, D. Thomam solum vel-

A le quod persona creata non possit connaturaliter, sicut divina, terminare alienam naturam, cum quo stat id posse supernaturaliter.

Sed contra primo: Id quod taliter uni convenit, quod nulli alteri possit ullâ ratione competere, cum majori proprietate dicitur proprium illi, quam si possit aliis competere, quamvis non connaturaliter: Sed nihil est quod nos cogat ut verba D. Thomae cum minori proprietate usurpemus, cum nullibi oppositum insinuaverit: Ergo asserendum est, Angelicum Doctorem sensisse, taliter esse divinae personae proprium alienam terminare naturam, ut nulli personae creatae possit ullo modo competere.

B Secundo, impossibile est personam creatam terminare alienam naturam, & hoc non praestare connaturaliter, ut ex infra dicendis constabit: Ergo si juxta D. Thomam, terminatio alienae naturae, ut conveniens connaturaliter, est ita divinae personae propria, ut nequeat personae creatae competere, erit absolute divinae personae ita propria, ut nullâ ratione possit persona creata alienam terminare naturam.

Plures etiam in favorem nostrae conclusionis adduci solent rationes ab Authoribus. Suarez hic disp. 13. sect. 4. illam probat ex eo quod substantia est modus naturae propriae: Sed implicat modum unius rei modificare aliam, implicat enim me

C sedere per sessionem alterius; esse praesentem loco, per modalem alterius praesentiam; virgam esse rectam, per alterius rectitudinem; & unum accidens inhære, per alterius inhærentiam: Ergo etiam implicat substantiam creatam, alienam terminare naturam.

Sed hæc ratio non est efficax, nam quod personalitas non sit modus, sed entitas realis, realiter a natura distincta, est sententia in via D. Thomae probabilis, quam tenet Cajetanus quaest. sequenti art. 2. & cum illo plures Theologi: Ergo quod personalitas creata nequeat de potentia absoluta alienam terminare naturam (quod communiter censetur Angelicum Doctorem tenuisse) non est opposita sententiae alligandum, nec ex eo probandum, quod personalitas creata modus sit, & non entitas realis, realiter a natura distincta.

Aliter ergo probanda est conclusio, nimirum ratione quam insinuat S. Doctor verbis supra relatis, quibus asserit personam creatam non posse terminare alienam naturam, quia non est infinita. Unde sic arguo: Substantia terminans plures naturas, debet esse infinita: Sed implicat substantiam creatam esse infinitam: Ergo & plures terminare naturas. Minor patet, Tum quia omne creatum, finitum est. Tum etiam, quia substantia creata limitatur ab illa natura, cujus est complementum & terminus. Major vero in qua est difficultas probatur primo.

E Substantia terminans plures naturas, supplet vices substantiarum quae sunt propriae illis naturis, tales enim naturas reddit incommunicabiles, sicut reddissent substantiae propriae: Sed non potest supplere vices talium substantiarum, nisi sit infinita: Ergo substantia terminans plures naturas, debet esse infinita. Major patet, Minor probatur. Substantia terminans plures naturas, non potest supplere vices substantiarum quae sunt propriae illis naturis, nisi contineat illas secundum proprias & distinctas earum rationes, eminenter formaliter, id est seclusis imperfectionibus: Sed non potest hoc modo illas continere, nisi sit infinita: Ergo &c. Minor probatur: Non potest

has continere secundum proprias earum rationes, nisi eas contineat prout conveniunt in ratione aliqua una & communi, quæ alia esse non potest quam ratio entis; differentia enim propriæ non conveniunt in aliquo superiori, nisi transcendentaliter in ipsis imbibito: Sed continere in ratione entis, est continere modo illimitato & infinito; ratio enim entis, cum sit universalissima & transcendens, ad omnia se extendit, & est quodammodo infinita & illimitata: Ergo subsistentia terminans plures naturas, non potest continere eminenter formaliter subsistentias illis naturis proprias, nisi sit infinita.

120. Confirmatur: Subsistentia in perfectione adæquatatur cum natura quam connaturaliter terminat: Ergo sicut nulla natura creata, quantumcumque perfecta, potest habere, nisi unam speciem & essentiam, ita nec potest eminenter continere species aliarum naturarum; sed hoc est proprium Dei, qui cum sit causa plena & perfecta omnium rerum, eminenter illas continet: ita neque illa subsistentia creata potest speciem & perfectionem aliarum subsistentiarum eminenter continere, sed hoc competit soli personalitati divinæ, ratione identitatis quam habet cum natura divina, & subsistentia absoluta, quam transcendentaliter includit, ut art. 3. declaravimus.

121. Probatur secundò Major principalis, quæ asserit subsistentiam plures naturas terminantem, debere esse infinitam, ratione Cajetani. Persona potens de se subsistere in duabus naturis, potest subsistere in infinitis si essent: Sed persona potens subsistere in infinitis naturis, est in subsistendo infinita: Ergo persona potens de se in duabus naturis subsistere, est infinita in subsistendo. Majorem probat Cajetanus, nam ubi pluralitas differentiam non facit, nec illam infinitas faceret, si infinitas possibilis esset, ut ait Aristoteles 4. phys. c. textu 76. ex quo infert quod si duo corpora possent esse simul in eodem loco, etiam possent infinita corpora esse simul, si essent possibilis: Ergo si pluralitas naturarum non obstat ut persona ex vi unius subsistentiæ, subsistat in illis, nec infinitas naturarum obstat, si possibilis esset, ut in infinitis naturis subsisteret, & consequenter persona potens subsistere in duabus naturis, est etiam potens de se subsistere in infinitis. Minorem autem non probat Cajetanus, sed ut notam præsupponit, sed potest sic facile suaderi. Subsistentia gaudens vi terminativæ & sustentativæ infinita, est infinita in ratione subsistentiæ, cum in nullo alio subsistentia consistat, quam in vi terminativæ & sustentativæ natura: Sed subsistentia personæ potens de se subsistere in naturis infinitis, gauderet vi terminativæ & sustentativæ infinita; sicut virtus effectiva potens quantum est de se in effectus syncategorematicè infinitos exire, est virtus effectiva infinita: Ergo persona potens de se subsistere in infinitis naturis, est in subsistendo infinita.

122. Huic rationi, quæ præcipua & fundamentalis est, dupliciter respondent Adversarij, aliqui enim dicunt quod ut una persona possit duas terminare naturas, vel etiam infinitas ordinis inferioris, non requiritur quod subsistentia illius sit infinita, sed sufficit quod sit superioris ordinis. Alij verò respondent quod ut persona possit per virtutem naturalem infinitas terminare naturas, deberet esse infinita; ut verò id posset per potentiam obedientialem, infinitatem non arguit. Unde cum subsistentia quæ plures terminaret naturas, id non

A præstaret per virtutem naturalem, sed duntaxat per potentiam obedientialem, propterea infinita non esset.

Sed neutra solutio satisfacit, prima enim confutata manet ex supra dictis, nam ut supra dicebamus, ut una persona in alterius natura subsistat, requiritur continentia eminentialis subsistentiæ propriæ illius naturæ quam terminat: Sed subsistentia ordinis superioris non potest eminenter continere infinitas subsistentias etiam ordinis inferioris; sicut natura superioris ordinis, esto in perfectione excedat infinitas naturas ordinis inferioris; illas tamen eminenter non continet, effectiva, nec formali continentia: Ergo persona creata, quamvis superioris ordinis, si infinita non sit, non potest in infinitis naturis, etiam ordinis inferioris, subsistere.

123. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Quamvis natura angelica sit superioris ordinis respectu naturæ humanæ, illam tamen non continet continentia eminentiali formali, ita ut illius effectum formalem seipsa præstare possit: Ergo quamvis subsistentia Angeli sit superioris ordinis ad humanam subsistentiam, non tamen continet illam continentia eminentiali formali, nec potest præstare illius effectum formalem, nec per consequens complere & terminare naturam humanam.

124. Secunda etiam solutio facile potest refelli, nam forma effectum quem præstat in genere causæ formalis, non potest causare per potentiam obedientialem, sed solum per sibi innatam & naturalem virtutem: At terminare & sustentare naturam, provenit à personalitate in genere causæ, vel quasi causæ formalis: Ergo non potest talem effectum præstare per potentiam obedientialem, sed solum ratione potentie & virtutis naturalis, ut magis patebit ex dicendis probatione sequenti.

125. Probatur ergo tertio Major principalis: Quod personalitas non potest connaturaliter & de potentia ordinaria præstare, non potest etiam facere de potentia absoluta: At nulla personalitas quæ non sit infinita, potest connaturaliter & de potentia ordinaria, terminare alienam naturam: Ergo nec de absoluta. Minor est evidens, nam quælibet personalitas connaturaliter est determinata ad terminandam propriam naturam ad quam consequitur. Major autem probatur ex principio generali in Philosophia tradito, quo dicitur hanc esse differentiam inter causam materialem & formalem, maxime substantialem, qualis est subsistentia, & causam efficientem, quod hæc potest elevari ad producendum effectum supernaturalem, vel principaliter, si contineatur intra objectum ejus specificativum, & sit tantum extra proportionatum; vel instrumentaliter, si sit extra objectum specificativum, cum tamen non possit illum producere naturaliter, & secundum propriam virtutem; causa autem materialis & formalis, maxime substantialis, non potest sic elevari, unde propterea in illis non habet locum distinctio potentie ordinariæ & extraordinariæ, seu naturalis & obedientialis. Et ratio est, quia ut causa formalis substantialis, v. g. subsistentia, terminaret naturam quam non potest connaturaliter terminare, deberet necessario recipere aliquam virtutem quæ augetur & elevaretur virtus terminativa naturalis: hoc autem est impossibile, quia illa virtus elevans, non potest esse virtus accidentalis (hæc enim est incapax elevandi ad substantialiter terminandum naturam) nec etiam

substantialis, quia virtus substantialis reddens A
personalitatem naturalem capace terminandi
alienam naturam, esset vera substantia, utpote
supernaturalis participatio substantiæ divinæ,
cui soli connaturale est posse terminare alienam
naturam, & sic non una tantum sed duplex esset
substantia in eadem persona creata, quod im-
plicat; & destrueretur hypothesis hujus quæstio-
nis, quæ quæritur an unica substantia creata plu-
res naturas terminare possit.

27. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Si
in terminatione substantiæ haberet locum distin-
ctio potentie ordinariæ & extraordinariæ, natu-
ralis & obediæntialis, seu causæ principalis & in-
strumentalis; vel substantia terminando alie-
nam naturam de potentia Dei absoluta, hoc præ-
staret ut causa principalis, vel ut instrumentalis à
Deo elevata? Non hoc secundum, quia sic foret
necessarium quod Deus ipse ut causa principalis
concurreret ad hanc eandem terminationem, hy-
potheticè informando ut causa principalis illam
eandem naturam, cum effectus & causalitas cau-
sæ instrumentalis conveniat etiam principali. Ne-
que etiam primum, quia ut causa principalis non
potest substantia elevari extra suum specificati-
vum: sic autem est quod specificativum sub-
stantiæ angelicæ v. g. est natura angelica: Ergo
non poterit substantia Angeli elevari ad termi-
nandum in genere causæ principalis naturam hu-
manam.

28. Aliter probat Cipullus Majorem principalem,
quæ asserit quod sola personalitas infinita potest
alienam terminare naturam. Sic enim arguit hic
art. 1. dubio unico num. 11. Sola personalitas per
se subsistens potest alienam terminare naturam:
Sed personalitas per se subsistens, hoc est nulli
alteri inhaerens, necessariò est infinita: Ergo sola
personalitas infinita alienam valet terminare na-
turam. Minorem ut certam supponit, Majorem
verò sic ostendit. Personalitas omnis quæ non est
per se subsistens, est entitas incompleta & moda-
lis: Sed eo ipso quod sit entitas modalis, non po-
test communicari rei distinctæ ab illa cuius est
modus, ut patet varijs exemplis supra ex Suarez
adductis: Ergo sola personalitas per se subsistens
potest alienam uniri naturæ, illamque terminare &
subsistentem reddere.

29. Sed hic discursus non urget, quia nititur sen-
tentiæ quæ asserit personalitatem creatam, seu
per se non subsistentem, in modali entitate con-
sistere: hæc verò sententia, licet probabilis sit,
non est tamen certa, nec à Theologis unanimiter
recepta, sed à Cajetano & pluribus alijs Thomi-
stis rejicitur. Unde huic rationi, ut præcipuè &
fundamentali, immeritò Cipullus confidit, om-
nibus alijs rejeçtis & confutatis.

30. Ex dictis inferes contra Valentiam, non solum
personam creatam, sed nec etiam creabilem, pos-
se alienam terminare naturam: nam persona cu-
jus propria personalitas non sit infinita, non po-
test alienam naturam terminare, ut multis osten-
dimus: At nec persona creata, nec creabilis, po-
test habere substantiam & personalitatem infi-
nitam: Ergo nec persona creata, nec creabilis,
potest alienam terminare naturam.



§. II.

Solvuntur objectiones.

C Ontra nostram conclusionem, & rationem
fundamentalem illius, à D. Thoma infinua-
tam, plures ac difficiles fieri possunt instantiæ,
quæ sub hac forma proponi possunt. Terminatio
naturæ alienæ infinitatem in persona terminante
non exigit: Ergo malè ex isto capite negatur pos-
sibilis personalitati creatæ. Consequentia patet,
Antecedens probatur primò. Divina personalitas,
prout ab essentia distincta, infinita non est, & ta-
men terminat plures naturas de facto, & infinitas
potest terminare: Ergo terminatio alienæ naturæ
infinitatem in personalitate terminante non exi-
git. Consequentia manifesta videtur, Antece-
dens verò sic ostenditur. Si personalitas ratione
sui, prout ab essentia distinguitur, esset infinita
formaliter, sequeretur aliquam infinitatem con-
venire Patri, quæ Filio non conveniret, & è con-
verso; nam Patri conveniret infinitas paternita-
tis, quæ Filio non convenit; & Filio infinitas fi-
liationis, quæ non convenit Patri: Sed hoc dici
nequit, alias Pater infinitus in omni linea non es-
set, nec Filius similiter: Ergo personalitas ratio-
ne sui, prout ab essentia distinguitur, infinitatem
non dicit.

C Secundò principale Antecedens suadetur: Ter-
minatio alienæ naturæ non est effectus infinitus:
Ergo non petit infinitatem in forma illum poten-
te præstare.

Tertiò, Sustainatio alieni & extranei acciden-
tis, non petit infinitatem in subiecto sustentante,
anima enim gratiam sustentat, quæ accidens alie-
num est, & non connaturale: potest etiam sub-
stantia creata recipere & sustentare nedum con-
naturalia & sibi propria accidentia, sed etiam il-
la quæ sibi propria non sunt, & alteri subiecto
debentur: Ergo pariter terminatio aut sustenta-
tio alienæ naturæ, infinitatem non arguit in per-
sona terminante.

D Quartò, Terminatio alienæ naturæ non petit
quod personalitas terminans contineat in se emi-
nenter personalitatem propriam naturæ quam
terminat: Ergo non petit infinitatem in illa. Con-
sequentia patet ex dictis paragrapho præcedenti,
Antecedens verò probatur. Persona alienam na-
turam terminans, non præstat eundem effectum
quem illi personalitas propria præstaret: Ergo
non requiritur quod persona alienam naturam
terminans, illius personalitatem eminenter con-
tineat. Consequentia manifesta est, nam conti-
nentia eminentialis formæ, solum requiritur ad
præstandum illius effectum formalem. Antece-
dens autem ostenditur primò: Ex personalitate
aliena, & natura terminata, diversa resularet
persona ab illa quæ resularet ex eadem natura &
propria personalitate: Sed effectus personalitatis
est persona: Ergo personalitas alienam naturam
terminans, non præstat effectum formalem per-
sonalitatis propriæ. Secundò probatur: Person-
alitas divina unita humanæ naturæ, constituit per-
sonam increatam, propria autem personalitas per-
sonam creatam constitueret: Ergo divina per-
sonalitas terminans humanitatem, non præstat ef-
fectum formalem personalitatis propriæ, & conse-
quenter personalitas creata terminans alienam
naturam, non præstaret effectum formalem à
propria personalitate præstandum.

Denique Sol continet eminenter effectus causa-

fam inferiorum, & tamen est aliquid finitum in se: Ergo similiter non repugnabit dari aliquam personalitatem superioris & eminentioris ordinis quæ contineat virtutem personalitatum inferiorum, & sic possit terminare inferiores naturas, licet in se finita & creata sit.

136. Pro solutione primæ instantiæ, recolendum est ex dictis supra art. 3. personalitatem divinam duo præstare naturæ alienæ quam terminat, nimirum perfectam independentiæ, & perfectam incommunicabilitatis; quorum primum, quia perfectio est, & personalitas divina in propria linea perfectionem non dicit, præstat non ratione illius quod explicat, sed ratione substantiæ absolutæ quam implicat & transcendentaliter includit: hæc autem infinita perfectionis est, ac proinde personalitas divina, ratione illius potest infinitum effectum præstare. Nec sequitur infinitam aliquam perfectionem convenire uni personæ quæ alteri non conveniat, quia substantia absoluta, una & indivisibilis est, quamvis reali transcendentia in tribus personalitatibus includatur. Secundum autem, nempe perfectam incommunicabilitatis, præstat personalitas divina ratione illius quod explicat, additque supra lineam absolutam, quia hoc perfectionem non dicit, ac proinde præstari potest à personalitate divina, ratione illius quod explicat, quamvis ratione illius perfectionem non importet: adhuc tamen sub hac consideratione personalitas divina habet quandam rationem infinitatis, non quidem perfectionis, sed in ratione terminandi naturam; tum quia primò terminat naturam divinam quæ infinita est, tum etiam quia in ordine ad naturam creatam, habet vim terminandi in infinitum synchegorematicè, & inexhaustibilem à natura terminabili. Hoc præmissis.

137. Ad argumentum respondeo negando Antecedens, ad cuius primam probationem, distinguo Antecedens, divina personalitas, prout ab essentia distincta, non est infinita infinitate perfectionis, concedo Antecedens. Infinitate terminativâ in linea incommunicabilitatis, nego Antecedens, & Consequentiam. Ad probationem verò Antecedentis, quatenus distinctioni traditæ obviare potest, distinguo sequelam Majoris. Si personalitas ratione sui, prout ab essentia distinguitur, esset infinita formaliter, sequeretur aliquam infinitatem perfectionis convenire Patri, quæ Filio non conveniret, nego sequelam. Aliquam infinitatem terminationis, concedo sequelam, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam esto sit inconveniens quod aliqua infinita perfectio competens Patri, non competat Filio, & è contra, quòd tamen infinitas aliqua in linea non dicente perfectionem conveniat uni & non alteri, nullum inconveniens censeferi debet. Sicut quamvis inconveniens censeatur à pluribus ex nostris Thomistis, quòd perfectio aliqua Patri conveniens, non competat Filio, & è contra: quòd tamen entitas aliqua Filio conveniens, non conveniat formaliter Patri, nempe filiationis, inconveniens non censeatur, sed necessariò debet ab omnibus ut veritas catholica admitti.

138. Ad id autem quod in argumento additur, nempe sequi ex nostra sententia Patrem non esse in omni linea infinitum, dicatur Patrem ratione paternitatis non esse infinitum in omni linea, sed tantum in propria paternitatis, unde in hac parte nullum inconveniens est quòd illi infinitas filiationis non

A competat: ratione verò naturæ esse infinitum in linea naturæ formaliter, & identicè in omni, quia natura divina cum omnibus quæ in Deo sunt, sive absolutis, sive relativis, summam habet identitatem, unde etiam est identicè infinita infinitate filiationis; quia tamen hanc infinitatem non petit natura divina, prout in qualibet persona, necessarium non est ut illam communitet Patri, sicut nec infinitatem propriam paternitatis communitet Filio.


Ad secundam probationem Antecedentis principalis, distinguo Antecedens: Terminatio alienæ naturæ non est effectus infinitus in ratione entis, concedo Antecedens, In ratione effectus formaliter, nego Antecedens, & Consequentiam. Ut enim in causa ex effectu arguatur infinitas, non requiritur quòd effectus sit entitativè infinitus, sed sufficit quòd in ratione effectus infinitus sit; ut constat in termino creationis, qui entitativè infinitus non est, & tamen petit in causa create infinitatem. Constat etiam in gratia habituali, quæ finita est in genere entis, & tamen petit infinitatem per essentiam in causa principaliter effectiva illius, ut in Tractatu de gratia disp. 4. art. 1. ostendimus.

Ad tertiam probationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam & paritatem: Ratio verò discriminis est, quia subiectum sustentare & recipere potest accidentia ratione potentie obedientialis, eò quòd possit materialiter causare formas supernaturales, penes ordinem ad quas potentia obedientialis constituitur, ex effectu autem ab aliqua causa præstabili per potentiam obedientialem, non colligitur infinitas: forma autem cum nequeat in genere causæ formalis effectum sibi supernaturalem causare, non potest id quòd præstat in genere causæ formalis, præstare per potentiam obedientialem, sed necessariò ad omne quòd causat formaliter, comparatur per vim & potentiam sibi connaturalem; unde cum personalitas in ordine ad terminationem naturæ concurrat in genere causæ formalis, si alienam terminaret naturam, id præstaret per potentiam connaturalem, ex quo infinitatem colligi constat ex dictis paragrapho præcedenti.

Ad quartam nego Antecedens, ad cuius probationem, distinguo Antecedens. Persona alienam naturam terminans, non præstat formaliter eundem effectum formalem, quem illi personalitas propria præstaret, concedo Antecedens. Non præstat eundem effectum formalem eminenter, nego Antecedens, & Consequentiam. Ut enim requiratur in personalitate terminante alienam naturam continentia eminentialis personalitatis propriæ, sufficit quòd terminando alienam naturam suppleat effectum personalitatis propriæ, & præstet eundem effectum formalem eminenter, quamvis non præbeat eundem effectum formalem formaliter: præstare autem eundem effectum formalem eminenter, est quòd mediâ personalitate alienâ existat & conservetur natura, quæ de se peribat personalitate propriâ & sibi connaturali existere & conservari; & quia hoc præstaretur à personalitate aliena, consequens fit, ut tribueret effectum personalitatis propriæ, non formaliter sed eminenter. Contra quam doctrinam non urgent probationes in contrarium, quæ solum probant non præstare eundem effectum formalem formaliter.

Ad quintam, concessio Antecedente, nego

consequentiam, & paritatem, Sol enim & alia causa universales continent effectus causarum inferiorum, eminentiâ imperfectâ, & se extendente solum ad rationem aliquam communem & genericam, puta rationem viventis, aut corporis corruptibilis: substantia verò terminans plures naturas, debet earum substantias eminenter continere, secundum proprias & distinctas earum rationes, quod nulli substantiæ creatæ competere potest; quia cum substantia sit terminus naturæ creatæ, non potest majorem perfectionem habere, quam natura à qua dimanat, ab illa enim habet determinatam speciem & perfectionem: unde sicut nulla natura creatæ eminenter continet aliarum naturarum perfectiones específicas & individuales; ita nec ulla substantia creatæ perfectionem alterius substantiæ eminenter continere valet, sed hoc proprium & peculiare est substantiæ & personalitati divinæ, quæ quia terminat naturam divinam, omnium naturarum perfectiones eminenter continet, omnium substantiarum creatarum & creabilium perfectiones eminenter continet, secundum proprias & distinctas earum rationes, & ex hoc redditur apta & potens ad terminandam quamcunque naturam creatam & creabilem.



DISPUTATIO IX.

De natura assumptibili & assumpta.

Ad quæst. 4. & 5. D. Thomæ.

Postquam egimus de extremo assumente, & potente assumere naturam creatam, superest ut extremum assumptum, & assumptibile contemplerur: de quo S. Doctor quæstione quartâ & quintâ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Virum quælibet natura substantialis completa, sit assumptibilis à Divina Persona?

§. I.

Quibusdam præmissis difficultas resolvitur.

1. **S**uppono primò, naturam substantialem completam dividi in purè spiritualementem, qualis est natura angelica, & in purè corpoream, qualis est natura brutorum, & vegetabilium, ac non viventium, & mixtam ex spiritali & corporea, qualis est natura hominis.
2. **S**uppono secundò ut indubitatum, naturam humanam esse assumptibilem à Persona Divina, fuit enim de facto assumpta, ut fide mysterij Incarnationis docemur. Unde solum potest esse difficultas de natura angelica, & de natura purè materiali & corporea, an scilicet utraque sit à Persona Divina assumptibilis: Circa quod tres versantur sententiæ. Prima negat posse naturam angelicam à Deo hypostaticè assumi. Hæc tribuitur Alberto magno in 3. dist. 2. art. 2. Secunda docet naturam irrationalem & purè corpoream non esse assumptibilem, etiam de potentia absoluta. Pro hac referuntur quidam antiqui, ut Alensis, D. Bonaventura, Henricus, quos secutus est Picus Mi-

randulanus in sua apologia, in defensione quartæ propositionis. Tertia tandem & communis sententia docet, non solum naturam humanam, verum etiam angelicam, & irrationalem, assumi posse à Divinis Personis. Unde

Dico primò: natura angelica assumptibilis est à persona divina.

Probant aliqui hanc conclusionem ex illo Apostoli ad Hebræos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*: cum enim (inquit) intentum Apostoli, juxta communem Patrum doctrinam, sit charitatem Dei erga homines per hoc commendare, quod naturam humanam, non verò angelicam assumpsit, debet necessariò supponere possibilem fuisse naturæ angelicæ assumptionem; aliàs enim nullum omnino esset Apostoli argumentum, quia facile posset ei responderi, mirum non esse quod Deus reliquâ naturâ angelicâ, humanam assumpsit, quandoquidem angelica non erat assumptibilis.

Verum licet hic discursus circa doctrinam Apostoli, efficaciter probet naturam Angeli potuisse saltem ad existentiam divinam assumi, non tamen efficaciter concludit, quod ad substantiam Dei assumi poterit; sufficit enim ad commendandam charitatem Dei erga homines magis quam erga Angelos, quod licet natura angelica, potuerit assumi ad divinam existentiam, eam tamen de facto ad illam non assumpsit Deus, bene tamen naturam humanam.

Probatur ergo efficacius nostra conclusio ex D. Thoma hic art. 1. ad 3. ubi postquam retulit opinionem quorundam Theologorum asserentium naturam angelicam non posse in unitatem divinæ personæ assumi, nisi destrueretur propria ejus personalitas, idque oblatre ejus incorruptibilitati, impugnat hanc doctrinam dicendo quod hoc non videtur excludere totaliter congruitatem assumptionis naturæ angelicæ; *Potest enim Deus (inquit) producendo novam naturam angelicam, copulare eam sibi in unitatem personæ*. Ex quibus sic arguuntur: Naturam angelicam assumi in unitatem divinæ personæ, est eam assumi ad personalitatem sive ad substantiam divinam: Sed ex D. Thoma citato, potest natura Angeli assumi in unitatem divinæ personæ: Ergo & ad substantiam divinam.

Probatur secundò conclusio ratione fundamentali. Non aliâ ratione in natura humana est ad assumptionem capacitas, nisi quia distinguitur realiter à sua personalitate, & consequenter potest illâ vel destructâ, vel non respectâ, terminari per substantiam Verbi, in qua propria personalitas eminenter continetur: At etiam personalitas Angeli realiter ab illius natura distinguitur: Ergo etiam natura angelica ad divinam potest assumi substantiam. Major patet, Minor verò (præterquam expressè docetur à D. Thoma quodlib. 2. quæst. 2. art. 4.) potest breviter hac ratione suaderi. Ratio distinguendi suppositum à natura in hominibus, vel est limitatio naturæ, ob quam indiget complemento realiter distincto ut existat, vel est capacitas receptiva ut quod existentia & accidentium, competens immediatè supposito, & repugnans naturæ, ut asserit D. Thomas quodlibet citato: Sed utraque hæc ratio militat in natura angelica, est enim limitata & finita, ac incapax recipiendi ut quod existentiam & accidentia, supposito quod hæc incapacitas naturæ humanæ conveniat: Ergo eadem ratione quâ